



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio II. De Natura Logicæ & ejus Objecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

objectum adequatum simpliciter, illud scilicet, quod nec excedit scientiam, nec exceditur ab eadem scientia, & insuper est predicabile de omnibus in illa scientia contentis objectis, in recto; & aliud objectum adequatum attributionis, quod nihil aliud sit, nisi id, ad quod omnia referuntur, ita, ut & nihil sit quod non referatur ad illud, & ipsum illud objectum non sit majus, quam ipsa illa objecta, quæ ad illud referuntur. Tum quia rogo, quomodo appellatur mistum, in quantum est id, ad quod elementa tanquam partes & causæ referuntur; quæro estne istud mistum objectum attributionis, ad quod referuntur hæc elementa? Negari non potest, quod referantur elementa ad mistum. Ergo nec

negari potest, quod attribuantur ad mistum, si attribuantur ad mistum. Ergo Objectum attributionis est mistum. De hoc ipso misto quæro rursum, estne istud Objectum adequatum an non? dices est inadæquatum, quæro Cur? certè propterea quod non omnia ad illud referantur, quæ sciuntur in Physica. Hoc ergo, ad quod omnia referuntur, cur non potest benè appellari adequatum attributionis objectum. Ego quidem non usurpo hunc terminum: Objectum attributionis inadæquatum vel partiale, quia Phrasis id communis non fert, dico tamen debere usurpari hunc terminum, Objectum adequatum Attributionis, quia est consuetus in Scholis loquendi modus.



DISPUTATIO II.

De Natura Logicæ & ejus Objecto

PRæexplicatis Majoribus de Scientia & objecto ut sic, subsumenda erit Minor de Logica.

QVÆSTIO I.

De Genere in Definitione Logicæ ponendo.

GENUS hoc à quibusdam ponitur scientia tantum, à quibusdam scientia & ars & facultas, sit.

DIFFICULTAS I.

An Logica sit Scientia.

DICENDUM EST. *Logicam esse scientiam*, ita S. Thomas in 4. Metaph. cap. 4. Suarez, Hurtadus, Oviedo, Arriaga contra Vallium & Smiglecium qui videntur sese opponere Aristoteli 1. priorum cap. 1.

PROBATUR I. Logica habet prædicata requisita ad rationem scientiæ quæ ex 6. Eth. cap. 3. & 4. sunt necessitas objecti & demonstrationes veræ. Quod habeat objectum necessarium Logica. Probari solet. Objectum quod non est agibile simpliciter, & ejus principium non est in nobis, sed in natura, est objectum necessarium, sed objectum Logicæ est tale. Minor probatur. Objectum universale seu ratio communis abstracta à singularibus, non est agibile simpliciter, neque ejus principium est in nobis, actiones enim sunt singularium, nihilque omnino fieri potest, nisi quod potest non esse, corrumpi &c. singularia autem sola corrumpi possunt, sed objectum Logicæ est universale, seu ratio communis abstracta à singularibus. Ergo Logicæ objectum non est agibile simpliciter neque

illius principium est in nobis. Quod autem Logica habeat veras demonstrationes, probatur ipsa illarum exhibitione v. g. Syllogismus qui nititur dicto de omni est bonus; Syllogismus in Barbara nititur dicto de omni. Ergo est bonus. Item: medius terminus positus pro subiecto in Majori universali affirmativa, & positus in Minori universali affirmativa pro prædicato, exigit conclusionem affirmativam. Syllogismus in Barbara est talis. Ergo &c. Quod autem hæ demonstrationes sint Logicæ, vel exinde deducitur, quia procedunt, de subiecto Logico, attendunt ad præcepta Logicæ, nihilque habent quod non sit de linea Logicæ.

RESPONDEBIS I. Logicæ Objectum est inventum nostrum, si est inventum nostrum, non habet tantam necessitatem, quantam habent objecta aliarum scientiarum. Nam objecta aliarum scientiarum, non sunt inventum nostrum. Quod si non habet tantam necessitatem, quantam alia objecta. Ergo neque potest habere rationem scientiæ.

CONTRA EST. Tum quia concessio, quod non habeat tantam necessitatem objectum Logicæ, quantam objectum aliarum scientiarum, nego adhuc illud objectum, modo habeat suam necessitatem, non posse esse objectum scientiæ. Certè enim major est necessitas in objecto Theologiæ, vel in objecto Metaphysicæ, quam in objecto Physicæ, & tamen hoc non obstante, Physica est scientia. Unde etiam dicitur, certitudines Physicas non esse tantas, atque sunt Theologicæ vel Metaphysicæ, & tamen certitudines Physicæ, sunt certitudines. Ergo etiam quamvis objectum Logicæ, non sit ita necessarium, ac aliarum scientiarum, poterit esse objectum

Etum sufficiens, ad scientiam salvandam, modo sit necessarium. Esse autem necessarium. Esse autem necessarium supra ostensum. Tum quia nego inventum nostrum esse objectum Logicæ, ex ipsa enim natura rei, Syllogismus constat tribus terminis, & Conclusio v. g. sequitur debiliorem partem. Tum quia quamvis actus intellectus habeant principium in nobis, possunt esse objectum Physicæ, cum non ergo etiam possunt esse objectum Logicæ. Quando verò Aristoteles id quod habet principium in nobis, negat posse esse objectum scientiæ, intellexit hoc de artificialis rigorosè, quæ circa singularia versantur, & per nullas veras demonstrationes ab ipsis probantur.

RESPONDEBIS II. Etiam artes ex Aristotele 2. posteriorum c. 1. & 1. Metaph. c. 1. circa universalis versantur, & tamen non sunt scientiæ.

CONTRA. Quia dictum illud Aristotelis procedit de arte, in quantum conjunctam habet rationem scientiæ practicæ.

RESPONDEBIS III. Objectum Logicæ habere necessitatem complexam, non verò incomplexam, quod si habet complexam non habet requisitam ad objectum scientiæ.

CONTRA. Tum quia nihil verat ut quod habet necessitatem complexam, possit esse objectum scientiæ, nec apparet cur non competat objecto Logicæ, etiam necessitas incomplexa, spectata penes prædicata essentialia & necessaria. Tum quia vel potest DEUS facere, ut Syllogismus constans tribus negativis bene concludat, vel non potest facere, si non potest facere? Ergo Syllogismus habet necessitatem immutabilitatemque sufficientem ad scientiam, quia rationem, cui oppositum nec DEUS facere possit; si autem hoc potest facere DEUS. Ergo DEUS potest facere, ut hoc quod est demonstratum, verè non sit demonstratum, sed falsum, Demonstratio enim est, Syllogismus tribus negativis constantem, non concludere. Tum quia vel poterant invenisse hoc Philosophi, ut Syllogismus constans omnibus negativis esset bonus, vel non poterant, si non poterant. Ergo non ab inventionem illorum pendet hoc; si poterant; Ergo Demonstratio, quod ex negativis nihil sequatur, non est demonstratio, sed quod nihil sequatur, est sola, eaque destruibilis conventio. Ostendat ergo oppositum tentiens, posse probari, quod Syllogismus constans tribus negativis, bene concludat. Unde ulterius negabitur quod objectum Logicæ, licet haberet necessitatem ex suppositione finis, non habeat necessitatem sufficientem ad conditionem scientiæ. Materia enim in Physica habet necessitatem ex suppositione finis, quod debeat constituere compositum, & tamen habet necessitatem sufficientem ad rationem scientiæ.

PROBATUR. II. Conclusio, Si Logica non esset scientia, non scirent homines se scire bo-

nitatem consequentiæ, quam si non scirent, nihil omnino discursivè scirent, immò nec hoc scirent, quod nesciant bonitatem consequentiæ, quia id scire deberent ex discursu, qui requirit si sit scientificus, scientiam bonitatis consequentiæ. Sequela probatur, quia si scirent homines, scirent vel per Logicam naturalem, vel per acquisitam, nam bonitas consequentiæ ad Logicam spectat: Si sciunt hoc per acquisitam; Ergo contra te concedis Logicam, de qua est questio esse scientiam; si dicis hoc sciri per naturalem Logicam. Ergo Logica naturalis est scientia, nonnisi enim scientiâ, aliquid scitur. Si Logica naturalis est scientia. Ergo & acquisita, ad eum modum, quod Physica naturalis est scientia, ita & acquisita.

PROBATUR III. Objectum Logicæ non habet essentiam suam dependentem à nostra fictione & operatione. Ergo habet necessitatem sufficientem ad scientiam, in qua tamen neganda fundant se oppositi. Antecedens probatur, quod habet essentiam suam, debet habere independentem ab intellectu & nostra fictione, quia eo ipso non haberet essentiam, nec de illo verificarentur propositiones æternæ veritatis, quæ enuntiant aliquid independentem à nostris fictionibus. Sed Objectum Logicæ habet essentiam suam, nam & definiri potest & non implicat contradictionem, adeoque non habet essentiam ex essentiis disconnexis, qualis habetur in Ententionis.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis.

I. LOCUS EST ex 6. Metaph. cap. 1. & 2. ubi enumerans scientias nullam facit mentionem Logicæ.

RESPONDET. Arriaga, auctoritatem hanc esse negativam, proinde non convincere, præcipuè cum de mente Aristotelis aliunde constet. Deinde dici potest Aristotelem ibi dividere scientias, quæ sunt circa res, non verò circa nostros Conceptus. Quod verò scientiam Logicam dixerit, quamvis versetur circa nostros Conceptus, Colligere est ex 1. Topicorum c. 2. & 2. de genere animalium c. 6. ubi dividit questionem in naturalem Moralem & Logicam, & tamen tot sunt scientiæ, quot questiones, imò 2. de Demonstratione c. 1. docet, & de Topico Syllogismo sciri posse, quia est Topicus.

II. LOCUS EST ex 5. Metaph. cap. 1. Ubi problemata instrumentalia dicit pertinere ad Logicam, esseque eam instrumentum. Ergo non est scientia.

RESPONDETUR. Hoc quod est instrumentum, & quidem adhuc secundariò, posse esse diverso respectu scientiam.

III. Locus Est ex Metaph. cap. ultimo ubi ait: *Absurdum esse quærere scientiam & modum sciendi.* Per Logicam autem intelligit modum sciendi.

RESPONDET Arriaga. Absurdum esse quærere scientiam distinctam à modo sciendi, & simul quærere modum sciendi pro ipsa scientia: sed non dicit absurdum esse quærere scientiam & modum sciendi, qui in ipsa scientia imbibitur, ante quem modum sciendi, non est necesse præcedere alium modum sciendi, sed illum, vi sua intellectus principiabit.

IV. Locus Est ex 1. Rhetor. c. 2. *Si quis Dialecticam & Rhetoricam & Scientias & non facultates pertractat imprudenter earum naturam subvertit.* Habet similia 1. Top. c. 12.

RESPONDETUR. Nomine Dialecticæ intellexisse Philosophum illas partes, quæ tractant de Topico Syllogismo: ubi non negat Aristoteles habitum, qui de Syllogismo Topico scientificè disputat, esse scientiam, sed solum dicit, non esse hoc habitus, modo scientifico docendos, hoc est non debere doceri, quòd Syllogismus Topicus requirit præmissas necessarias, sed quod procedat ex motivis probabilibus, apparenter veris.

V. Locus Est ex 4. Metaph. tex. 5. *Circa idem Genus Sophistica & Dialectica versatur cum Philosophia, verum Philosophia ab hac quidem modo potestatis, ab illa verò electione vite differt.*

RESPONDETUR. Hic Locus est potius pro nobis, si enim circa idem genus versatur Logica & Philosophia. Ergò si respectu Philosophiæ habet objectum in se sufficientem necessitatem, cur non habebit respectu Logicæ. Vel ad maximum agit de Logica, in quantum est tentativa ut inquit ipse inferius, quæ in quantum tentativa, docet pro utraque parte disceptare probabiliter, disceptare autem probabiliter, non est actus scientiæ. Non ergò hic agit de Logica, in quantum habet demonstrationes de suo objecto, sed in quantum probabiliter de objectis discurret, & sicut non obest Physicæ, quamvis circa aliqua probabiliter objecta discurret, sic nec obest Logicæ. Quod autem Logica possit habere demonstrationes, dictum supra.

OBJICITUR II. Illa scientia, quæ est circa Entia simpliciter, est scientia simpliciter. Ergò scientia, quæ est de Ente, secundum quid, est scientia secundum quid. Sed Logica est scientia circa Ens secundum quid, hoc est circa conceptus nostros, Ergò est scientia secundum quid.

RESPONDETUR. Ratio scientiæ non se accommodat debilitati & infirmitati Entis: hinc de re materiali, potest esse scientia immaterialis; quòd si non accommodat sese debilitati entis scientia, benefici potest, ut de Ente secundum quid, sit scientia simpliciter, si versetur circa illud, modo requisito, ad rationem scientiæ simpliciter, hoc est, modo demonstrativè procedat.

OBJICITUR III. De Essentia Scientiæ est: Certitudo objectiva, quæ est in ipso objecto inclusa, & Certitudo formalis, hoc est Certitudo, qua sciat cognoscens, se scire. Logica nullam talem habet certitudinem. Ergò non est scientia. Minor probatur. Logica objectum habet principium in nobis. Ergò non habet certitudinem objectivam intrinsecam, non habet item certitudinem formalem, quia hæc est ex conformitate ad præcepta Logica, quæ sunt merum placitum hominum.

RESPONDETUR I. Negando Minorem. Nego item, quòd objectum Logicæ cum sit universale, habeat principium in nobis. Nego item regulas Logicas esse placitum humanum, cum dixerim nec Deum illas mutare posse, nec potuisse aliter invenire Doctores.

RESPONDETUR II. Distinguendo. Objectum Logicæ habet principium in nobis tam quoad elici, quam quoad suam essentiam. Nego Majorem. Habet principium in nobis, quoad elici tantum. Concedo Majorem, distinctaque Minori, Nego Consequentiam. Explico distinctionem, & dico aliqua habere principium in nobis, tam quoad suum elici, hoc est produci, & à parte rei poni, quam quoad suam essentiam, & ita v.g. essentia calcei qua calceus est, habet principium in nobis, placitoque & inventis nostris, aliqua verò non nisi quoad suum elici dependent à nobis, & ita pendet à nobis quod Syllogismus non possit, constare quatuor terminis, quod rectè concludat in Barbara &c.

OBJICITUR IV. Quod non ex se sed ex nobis principium habet, illud non est simpliciter necessarium. Logicæ res seu objectum, non habent principium ex se, sed ex nobis. Ergò non sunt necessarium simpliciter. Minor probatur. Res Logicæ sunt fragmenta intellectus nostri cum iidem termini, quantumvis nihil illis accedat, possint nunc esse Syllogismus, nunc Propositio, nunc simpliciter terminus.

RESPONDETUR I. Negando Minorem & ejus probationem, dicoque quod iidem termini non possint esse Syllogismus, nisi accedat judicium, quo judicetur prædicatum conclusionis inesse vel non inesse subjecto, ad propositionem item requiritur affirmatio vel negatio, præter ipsos terminos.

RESPONDETUR II. Distinguendo sicut supra. Quod non ex se sed ex nobis habet principium tam quoad elici, quam quoad essentiam, illud non habet principium ex se. Concedo Majorem, si habeat principium tantum quoad elici non habet ex se principium. Nego Minorem.

INSTABIS I. Non habere majorem necessitatem objectum Logicæ quam habeat objectum Grammaticæ, quia tam ex lumine naturali petitur adjectivum debere cum substantivo concordare in Genere, quam lumine naturali constat definitionem debere esse clariorem definito.

RE-

RESPONDETUR. Negando Antecedens certè enim sicut ex placito verba significant res, ita etiam ex placito habent istam concordiam, æquè enim benè exprimi possent Conceptus: si diceremus & conveniremus in hoc quod templum sit firmus, non possumus autem convenire sine errore, ut Syllogismus constans quatuor terminis, benè concludat.

RESPONDETUR II. Transito Antecedente nego consequentiam, deficit enim Grammatica à ratione scientiæ, quia non habet demonstrationes.

INSTABIS II. Logicæ objectum vel esset necessarium necessitate complexa, hoc est quoad connexionem prædicati cum subiecto, vel haberet necessitatem incomplexam, hoc est quod habeat causam necessariam, & non possit aliter se habere. Neutrum fundat in Logica rationem scientiæ. Ergò &c. Minor probatur. Si necessitas complexa fundaret necessitatem scientiæ, fundaret etiam in artibus, certè enim lateres vel lapides, sunt quid necessarium ad faciendam domum, si ergò necessitas hæc complexa, non fundat rationem scientiæ in artibus, nec fundabit in Logica. Non habet item objectum Logicæ necessitatem incomplexam, hæc enim ostendi non potest.

RESPONDETUR. Dicendo utramque haberi necessitatem à Logica, sed in artibus necessitatem complexam, non fundare rationem scientiæ, quia artes qua tales, non procedunt demonstratione, habet item objectum Logicæ necessitatem incomplexam, quia est quid universale, immutabile &c.

INSTABIS III. Syllogismus qui est objectum Logicæ, est Oratio, Propositio item est Oratio, hæc habent principium in nobis. Ergò & Logicæ objectum.

RESPONDI supra, Syllogismus si sumatur secundum rationes communes non habet principium in nobis, item quod habeat principium in nobis, quoad elici tantum.

OBJICITUR V. In Logica ex modo operandi Logico, nihil est simpliciter necessarium. Ergò Logica non est scientia. Antecedens probatur. Si quid esset simpliciter & scientificè necessarium, vel maxime esset necessaria forma syllogistica. Hæc non est necessaria ut probo: Datur Syllogismus probabilis, qui non est necessarius etiam si habeat formam. Ergò forma in Syllogismo, non est necessaria.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Probationem ejus distinguo. Datur Syllogismus probabilis ratione materiæ & causæ conclusionis in præmissis expressæ. Concedo Majorem. Datur Syllogismus probabilis ratione formæ. Nego Majorem. Explico. In Syllogismo probabili duo sunt, Materia & Forma. Materia ejus dico quòd non sit necessaria, formam tamen syllogisticam dico esse necessariam, æquè enim re-

spectu demonstrationis habet se forma syllogistica, ac respectu probabilis Syllogismi, nam in utraque innititur illi principio infallibili. Quæ sunt eadem uni tertio &c. It. Dicit de omni &c. nec est novum Syllogismus ratione materiæ esse probabilem, necessarium autem ratione formæ, nam Syllogismos format Aristoteles etiam in Materia erronea.

OBJICITUR VI. Nullus discursus Logicæ, qua talis, est certus & evidens. Ergò Logica non est scientia. Antecedens probatur. Si esset aliquis discursus Logicus, qua talis certus & evidens, maxime esset certus & evidens factus in prima figura. Sed etiam in hac figura contingit error, unde erroneus est iste Syllogismus. Omne quod movetur currit, cadaver cum effertur movetur. Ergò cadaver currit.

RESPONDETUR. In prima figura posse contingere errores ratione materiæ, vel ob non benè ponderatam vim præmissarum. Concedo Majorem. In prima figura possunt contingere errores formæ & servatis regulis. Nego Majorem. Nec obest ut aliquid sit vera scientia, quantumvis ratione non benè ponderatarum præmissarum possit contingere error, est enim hoc evidens principium. Omne totum est majus sua parte & tamen si non rectè intelligatur, potest quis induci in errorem. quod cauda gliris sit totum, est enim major reliquis partibus.

OBJICITUR VII. Si Logica esset scientia, etiam artes essent scientiæ. Hoc falsum est. Ergò. Sequela probatur. Etiam artifices habent aliqua universalialia principia v.g. in futoria principium hoc: crassiora non ita citò possunt deterreri. Ergo pro inferiori parte calceorum, ponendum crassius corium.

RESPONDETUR. Negando Sequelam asseroque ad artifices, qua tales, non pertinere universalialia principia, sed solum modum operandi præscribere: hinc & pueris ut inquit Arriagadum discunt futoriam, non dicitur ideo corio utaris pro solea, quia fortius est, sed præcisè ostenso corio, dicitur, hoc utaris pro solea, hoc pro superiori parte.

OBJICITUR VIII. Si Logica esset scientia, vel esset scientia, quæ docens, & hoc non, quia multi, sunt habitus doctivi, qui non sunt scientiæ, vel quæ utens, & hoc non, quia quæ utens, dicit tantum respectum ad dirigibile non tamen ad scibile, cum tamen scientia, dicat respectum ad scibile. Non item Logica est scientia, quæ speculative, quia absolute non est speculativa, & multa sunt speculativa, v.g. error, quæ non sunt scientia. Non item Logica est scientia quæ practica, quia quæ practica dicit non nisi operis effectum, multa item sunt practica, quæ non sunt scientia. Ergò Logica qua practica non est scientia. Ergò absolute non est scientia.

RESPONDETUR. Neutro ex his modo Logicam esse scientiam, sed est scientia, quæ est

notitia certa & evidens, cui connectitur, quod in hac notitia non sistat, sed eam referat ad objecti productionem.

INSTABIS cum Mastrio quæst. Proæmi.n. 42. Logica utens propriè loquendo est habitus, quo instructi facillè agnoscimus definitiones, enunciationes &c. juxta præcepta docentis Logicæ, cum ergò circa singularia versetur, & res a nobis operabiles, non erit scientia sed ars.

RESPONDETUR. Sicut dum habet Logica pro objecto tres operationes, hoc non obstante, considerat illas per modum unius objecti, ad quod cætera revocantur, ita & utens Logica dirigit singulares operationes, prout habent rationem unius in hoc genere objecti, adeoque adhuc erit scientia.

OBJICITUR IX. Objectum Logicæ potest benè vel malè fieri. Ergò non habet ex se determinatam prædicatam, de indeterminatis autem non datur scientia.

RESPONDETUR. Objectum Logicæ seu operationes intellectus, antecedenter antequam sint objectum, posse benè vel malè fieri, prout tamen jam sunt secundum regulas Logicæ non nisi benè fieri, acquiruntque jam tum prædicata determinata.

INSTABIS. Cognitiones scientificæ habent objectum æternæ veritatis, hoc autem, quod in tempore fit, qualiter sunt operationes intellectus, quomodo est objectum æternæ veritatis.

RESPONDETUR. Quando dicitur objectum scientiarum, esse veritatis æternæ non significatur, quòd tale objectum debeat esse existens ab æterno; sed tantum significatur, quòd habeant objectum scientiæ sive illud sit contingens sive necessarium quoad existentiam, tale nihilominus, quod sit necessarium, quoad essentialia sua prædicata: ita ut in æternitate, nullum sit instans, in quo de illo, essentialia illius prædicata non verificentur, ex eoque sint æternæ veritatis. Jam autem & Logica, habet de objecto suo propositiones æternæ veritatis, nam æternaliter est verum Syllogismum constare tribus terminis, definitionem esse Orationem constantem genere & differentiâ.

DIFFICULTAS III.

An Logica sit Scientia Practica an Speculativa.

Tres sunt hæc in re sententiæ. I. Dicit Logicam esse speculativam, ita Scotus, Durand. & alii. II. Sententia dicit Logicam esse practicam & est S. Th. Opusc. 10. in Boet. Fons. Molina, Arriaga. III. Sententia dicit Logicam esse partim practicam, partim speculativam ita Suar. disp. 44. sec. 58. num. 54. Vasq. Rubio & alii.

DICENDUM EST. *Logicam esse practicam Scientiam.*

PROBATUR I. Si Logica non esset scientia practica, nulla scientia esset practica, sed est aliqua scientia practica, nam ex una parte nihil verat ut scientia sit practica, ex altera, quodecunq; signum practiciæ scientiæ inveniri posset, hoc ostendit de facto Logica esse talem. Major probatur, quia quæcunque ratio probaret Logicam non esse scientiam practicam, probaret etiam quæcunq; aliam scientiam non esse practicam.

PROBATUR II. ex Arriaga. Logica deseruit ad omnia sua objecta efficienda. Ergò est practica. Antecedens probatur, quia omne objectum Logicæ aut est Terminus aut propositio aut argumentatio, & tamen hæc omnia fiunt ex directione Logicæ.

PROBATUR III. Habitus qui versatur scientificè circa opus operabile & modo operabili est scientia practica, hoc enim definitivè intelligitur nomine scientiæ practiciæ. Sed Logica est talis, quod enim versetur scientificè probatur supra. Quod versetur circa operabile modo operabili. Probatur. Quia ad tale versari duo requiruntur. I. Efficiendo rem ipsam & sic facit v. g. scriptor, dum manum pueri characteres formantis ducit. II. Præscribendo regulas faciendi, ut cum Magister dicit, si hoc vel illud feceris erit bona constructio. Utrumque horum competit Logicæ. Ergò Logica versatur circa operabile modo operabili.

OBJICITUR I. Illa scientia cujus finis est veritas ad nullum opus relata, non est practica. Sed Logicæ finis est talis, quia idem finis est instrumenti & principalis agentis. Sed Logica est instrumentum scientiarum speculativarum, quarum finis veritas ad nullum opus relata. Ergò & Logicæ idem erit finis.

RESPONDETUR. Habitus, qui nonnisi est instrumentum scientiarum speculativarum, estque natus esse non nisi subordinatus per se speculativus, & ipse debet esse speculativus. Logica autem est nonnisi permissivè instrumentum, nec per se subordinatur, quia impossibilibus aliis scientiis benè stare posset Logica.

OBJICITUR II. Habitus sistens in cognitione, est habitus sistens in vero ut verum est. Sed Logica est habitus sistens in cognitione. Ergò.

RESPONDETUR. Quod habitus sistens in cognitione, sed directiva operis, non sit sistens in vero ut verum est. Talis autem Logica.

OBJICITUR III. Potest solius veritatis gratia inquiri de Syllogismo quare ita rectè concludat, quæ inquisitio est speculativa, & tamen spectat nonnisi ad Logicam.

RESPONDETUR. Hoc argumento multum probari, quia probatur nullam scientiam esse practicam. Directè autem dici potest, quod in quantum hoc faceret. Logica, inveniretur illic æquivalenter ratio non sistendi in objecto, veritatis gratia, licet à Metaphysico fieret id, veritatis nonnisi gratia.

Objic.

OBJICITUR IV. Si Logica esset practica respiceret operabile, operabile respicere non potest, quia respiceret singulare, singulare autem respicere non potest, respicit enim rationem communem & universalem.

RESPONDETUR. Quod Logica non respiciat singulare quoad præceptionem, licet respiciat singulare, quoad executionem, hocque est operabile. Deinde dici posset quod Logica, quia scientia, respiciat rationem communem, & per hoc salvatur ex sensu communi ratio scientiæ, sed non respicit, quia practica, quia practica, respicit singulare, sed etiam quia practica non importat formalitatem scientiæ.

OBJICITUR V. Logica in Angelo non est practica. Ergo nec in homine est practica.

RESPONDETUR. Etiam in Angelo Logicam, in quantum illa utitur in directione suarum operationum, præcipue circa objecta, quæ intuitivè non videt, esse etiam practicam. Cæterum in quantum Angelus nescit Logicam nostratam, non nisi sic sumpta in illo notitia Logicæ, non est practica, quamvis in nobis sit Logica practica. Ratio, quia objecto cognito non debet se accommodare cognitio nec sequi conditionem illius, sed tantum illam representare; & ita de objecto materiali potest esse cognitio immaterialis & circa stupiditatem alicujus, potest ingeniosissima Angeli versari cognitio. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia hoc ipsum esset extra sphaeram cognitionis, cum ejus sphaera sit representare objectum, quale sit; non autem æquare suæ entitatis conditionem conditionem entis seu objecti circa quod versatur. Quia verò in Angelo Logica, quam ille cognoscit nobis inesse, & ejus regulæ, habent se per modum objecti cogniti, quantumvis illæ sint practicæ, non erit necesse, ut cognitio Angeli circa illas sit practica. Logica verò in homine non se habet præcisè per modum objecti cogniti, sed quando modo Logico procedit, procedit per modum dirigentis, regulantis, præcipientis, adeoque per modum practici.

DIFFICULTAS IV.

An Logica sit purè Practica.

DICENDUM EST. *Logicam esse purè practicam.*

PROBATUR I. Quia ut patebit solutione objectionum, nulli actus speculativi in Logica ostendi possunt.

PROBATUR II. Quia si Logica esset scientia aliquo modo speculativa, sequeretur absurdum, quod etiam artes mechanicæ sint ex parte scientiæ speculativæ, ut videre erit retorquendo argumenta oppositorum.

PROBATUR III. Quia ex una parte nihil repugnat dari aliquam scientiam purè practicam, repugnantiaque quæ id ostenderet, potius probaret nullam scientiam posse esse practicam,

ex altera parte quidquid pro nota purè scientiæ practicæ adferri potest, illa serviet pro Logica.

OBJICITUR I. Actus qui non versantur circa objectum operabile, non sunt practici. Sed dantur aliqui actus Logici qui non versantur circa objectum operabile. Ergo illi non sunt practici. Ergo speculativi. Minor probatur. Actus, qui versantur circa objectum jam factum, non versantur circa objectum operabile, sed dantur actus, qui versantur circa objectum jam factum. Ergo &c.

RESPONDETUR I. Retorquendo argumentum de calceo jam facto quem considerat futor, quæ consideratio in futore per obicientem esset speculativa.

RESPONDETUR II. Negando minorem. Probationis ejus distinguitur Major. Actus qui versantur circa objectum jam factum, non dirigendo hanc cognitionem ulterius ad alius objecti effectiorem, non versantur circa operabile. Concedo Majorem. Dirigendo hanc cognitionem ad alius objecti effectiorem. Nego Majorem, distinctaque Minori. Nego consequentiam.

RESPONDERI POTEST ALITER ad imaginationem Arriaga hic disp. 3. sec. 3. num. 25. distinguendo Majorem. Sed dantur aliqui actus Logicæ, quæ Logica est, qui versantur circa jam factum objectum. Nego Minorem; sed dantur aliqui actus Logicæ prout illa est conjuncta cuiusdam experimentalis scientiæ, qui versantur circa jam factum objectum. Concedo Minorem, Distinctaque consequenti, Nego consequentiam.

EXPLICO DISTINCTIONEM. Interdum pro se sola accipitur Logica, interdum prout conjungitur scientiæ experimentalis, quæ nescit, rem jam existentem, quæ existens est. Logica ergo quæ Logica est, nego quod cognoscat jam factum; sed prout experimentalis scientiæ jungitur Logica, dico quod ex accidenti & ratione alterius cognoscat jam factum. Res ut clarior fiat accipiamus sub exemplum definitionem bonam, quæ prout jam facta est cognoscatur, & exprimamus hanc cognitionem his verbis: *Hæc definitio est bona*, intercedet hic talis discussio: *Definitio quæ explicat rei naturam est bona, & hæc cognitio est Logica.* Sed hæc definitio explicat rei naturam, hæcque cognitio non est Logica, sed est scientiæ experimentalis inferturque conclusio. Ergo hæc definitio est bona. Porro hanc Minorem non esse Logicam, ita probo: Similis est hæc Minor, Minori hujus Syllogismi. Fundamenta supra petram sunt fundamenta solida, quæ cognitio est architectonica. Sed hæc fundamenta sunt supra lapidem, & hæc Minor ad visum pertinet, qui nihil scit de architectonica. Ergo hæc fundamenta sunt bona. Quod si hæc Minor, ut videre est, non est architectonica, Ergo neque illa Logica.

INSTABIS I. Illa objecta jam facta ex motivo Logico considerantur. Ergo considerantur à Logica, quæ Logica est.

Re-

RESPONDETUR. Negando Antecedens, sicut enim ex motivo architectonico non consideratur fundamentum supra petram positum, ita nec ex motivo Logicae, considerabitur obiectum, jam factum.

INSTABIS II. Fieri potest ut consideratio v. g. definitionis jam factae, nullo modo ordinetur ad similis definitionis effectiorem. Ergo cognitio illa verè erit speculativa.

RESPONDEO I. Invertendo argumentum de calceo jam facto, de quo jam speculatio per se poterit esse in futuro.

RESPONDETUR II. Fieri potest ut consideratio definitionis jam factae non ordinetur formaliter ad alius obiecti effectiorem. Concedo Antecedens. Fieri potest, ut non ordinetur vel formaliter vel æquivalenter & virtualiter. Nego Antecedens & consequentiam. Dicoque dupliciter posse ordinari cognitionem obiecti jam facti ad effectiorem similis. Primum formaliter hoc est per modum imperii, dicendo si volueris facere definitionem, fac talem qualem factam vides. II. Potest ordinari ad opus cognitio definitionis factae æquivalenter & virtualiter; quia scilicet illa cognitio obiecti jam facti est talis, vi cuius & virtute, moveri potest cognoscens, ad imperium illud formale imperans effectiorem similis operis.

Quod si quæras quid repugnet dicere futuriæ esse speculativam in re. Respondeo repugnare, dici futuriæ esse speculativam, quia quicumque illius actus, est aut formalis aut virtualis aut æquivalens directio operis, & si quæ illis intercedit speculatio, illa non spectat ad futuriæ, sed ad Physicam naturalem aut alium aliquem habitum.

INSTABIS III. Si cognitio illa de obiecto jam facto, est æquivalenter practica, dicam omnem cognitionem esse practicam quod est absurdum.

RESPONDEO. Negando fore omnes actus practicos, quantumvis æquivalenter sit practicus actus Logicae definitionem jam factam considerantis, quia multi actus sunt, qui nullo modo possunt esse practici, ut quod DEUS sit DEUS, quod album sit album. Tradidi supra, ubi explicui rationem practici regulam universalem dignoscendi, qui actus essentialiter sit practicus, quod hoc sit internoscendum ex eo; an circumscripta omni speculatione, & retenta sola ratione practici habeat adhuc scientia finem per se intentum in versando circa illud obiectum. Consulatur dicta superius, ubi de ratione communi practici & speculativi agebamus.

OBJICITUR II. Actus qui versantur circa proprietates necessariò ex subiecto dimanantes, non sunt circa obiectum operabile, sed dantur actus Logici, qui versantur circa proprietates necessariò ex subiecto dimanantes. Ergo dantur actus, qui non sunt circa operabile. Ergo

sunt speculativi. Major probatur. Illud, quod necessariò est, non est obiectum operabile. Ergo actus, qui versantur circa proprietates necessariò ex subiecto dimanantes, non sunt circa operabile. Minor probatur. Actus Logici, qui demonstrant definitionem clariorem esse definito; Item, quod scientiam generet demonstratio, sunt actus circa proprietates necessariò fluentes, Ergo &c.

RESPONDETUR distinguendo Majorem. Actus, qui versantur circa passiones necessariò dimanantes non ordinando hanc cognitionem ad similis obiecti, ex quo similes fluant passiones effectiorem, illi actus non versantur circa operabile. Concedo Majorem. Si ordinetur hæc cognitio ad similis obiecti effectiorem, ex quo fluant similes passiones. Nego Majorem, Distinctaque minori nego consequentiam. Vel secundo distinguo Minorem: Dantur actus Logici quæ Logici, circa passiones necessariò dimanantes, Nego Minorem. Dantur actus Logici, prout conjuncti scientiæ experimentali. Concedo Minorem, Distinctaque consequenti, Nego consequentiam.

OBJICITUR III. Actus, qui appellantur æquivalenter practici, vel sunt ita æquivalenter practici, ut sint formaliter practici, vel tantum ut sint virtualiter practici, si actus illi Logici æquivalenter practici, sunt formaliter practici. Ergo & principium hoc Physicum: Ignis approximatus calefacit, utpote æquivalens huic: Si vis calefieri aliquid, approxima igni, erit inquam hoc principium formaliter practicum: Si autem actus ille Logicae æquivalenter practicus, est virtualiter practicus. Ergo est formaliter speculativus, nam quod non est formaliter practicum, est formaliter speculativum.

RESPONDEO. Illos actus æquivalenter practicos, non esse formaliter practicos, sed virtualiter, non sequitur tamen esse illos formaliter speculativos. Ratio est, quia ex Termino negativo (excepto infinitante) non potest inferri terminus positivus, & ita v. g. quia de aliquo dicitur non est album, non rectè inferitur esse illud nigrum, hinc dicitur viride non esse album & tamen rectè non inferitur. Ergo est nigrum. Cum ergo de virtualiter practico dicitur, tantum terminus negativus, quod non sit formaliter practicum, non rectè inferitur: esse formaliter speculativum. Ad illum actum quod attinet: ignis approximatus urit, dico hunc actum in Physica esse speculativum, ille enim non attendit effectiorem operum, quantumvis in aliquo alio habitu subordinato, possit hoc esse Principium practicum.

QVÆRES. An domus v. g. quæ est obiectum demonstrationis architectonica, exigat pro sua parte dirigi à demonstratione, ita, sicut demonstratio architectonica de domo, exigat esse directivam architecti.

Re.

RESPONDEO. Domum scientificè ædificabilem, exigere scientificè ædificari, & dirigi ab illa vel simili demonstratione, quantumvis domus, simpliciter non exigit fieri, & dirigi in sui positione, aliqua demonstratione; neque enim implicat ut fiat domus à fabro, non scientificè operante. Addo posse plura exigere demonstrationem de domo faciendâ, quàm exigit ipsa domus, hinc demonstratio exigit esse spiritualis, non verò domus, Syllogismus item non exigit fieri à Logica artificiali, cum possit fieri ab ipso intellectu, licet agre & cum difficultate, & tamen Logica artificialis, de Syllogismo, necessario & essentialiter respicit Syllogismum.

Ceterum quando nego Logicam esse speculativam, non ago hic de Logica, prout à Professoribus traditur, nam ita accepta habet multas materias metaphysicas, adeoque speculativas, sed ago de Logica, in quantum agit de terminis, propositionibus, argumentatione &c.

DIFFICULTAS V.

An Logica sit ars, an facultas.

SUPPONO I. Aristotelem 6. Metaph. cap. 4. Artem ita definivisse. *Est habitus cum recta ratione effectivus, circa ea, quæ esse possunt & non esse, quorum principium est in eo, qui facit non in eo quod efficitur.*

SUPPONO II. Quid sit actio quid factio, & dico in primis has duas voculas condistinctas esse ab Aristotele 9. Metaph. ut cum citat Suarez. disp. 44. Sec. 13. num. 28. 1. Per actionem significatur actus moraliter dirigibilis, per factionem verò significatur actus artificiosè dirigibilis. Hunc sensum Aristoteles innuit 6. Metaph. cap. 1. ubi dicit: *Idem esse agibile & eligibile.* 11. Per actionem sumit Aristoteles, actus immanentes, per factionem autem actus transeuntes, sumitur hæc acceptio ex 9. Metaph. cap. 9. 111. Per actionem significatur actio quæ non relinquit post se opus. Factio autem significat actionem quæ relinquit post se opus externum, ita innuit Aristoteles lib. 1. Magnorum Moralium cap. ultimo.

SUPPONO III. Aristotelem divisisse artes in serviles seu Mechanicas, qualis est futoria, fatoria &c. & in liberales qualis Rethorica, Poetica &c. & in medias qualis architectonica, militaris, nautica &c. His suppositis.

DICENDUM EST I. Logicam prout dirigit operationes sine demonstratione esse propriè artem. Ita Suarez initio disp. 36. Vasquez. Rubio contra Vallium.

PROBATUR I. Ratione fundata in divisione habituum facta ab Aristotele. Logica prout dirigit operationes sine demonstratione neque est prudentia, cum non dirigat actus prout sunt moraliter honesti, neque est scientia practica,

cum supponatur procedere non demonstrativè. Neque est habitus principiorum, cum attendat etiam ad Conclusiones neque est tunc cum dirigit scientia speculativa, cum directio sit Praxis. Ergo est Ars.

RESPONDEBIS. Sufficit quod revocetur ad scientiam, sed

CONTRA EST. Non potest revocari ad scientiam, quod nullo modo est scientia, sed quod demonstrativè non procedit ut hic supponitur Logica non procedere demonstrativè. Ergo non potest revocari ad scientiam. Per hoc tamen non nego diverso respectu, prout scilicet demonstrativè procedit Logica, illam esse scientiam.

PROBATUR II. Habitus cum recta ratione factivus, est Ars. Sed Logica est habitus cum recta ratione factivus. Ergo est Ars. Major est Aristotelis. Minor probatur. Habitus qui habet pro objecto actiones artificiosè dirigibiles, est habitus factivus. Sed Logica habet pro Objecto operationes artificiosè dirigibiles. Ergo &c. Minor inferius probabitur. Major autem probatur autoritate Aristotelis, qui 6. Metaph. cap. 1. factionem appellat artificiosam directionem.

PROBATUR III. Omne practicum est aut factivum aut activum. Ergo & Logica aut est factiva aut activa. Sed non est activa, non enim est circa voluntatis actus. Ergo est factiva. Omne factivum est ars. Ergo & Logica est ars. Confirmatur. Ob quamcunque rationem habitus versans circa materiam externam est Ars, ob eandem benè potest dici esse Arsetiam habitus, quia habet pro materia operationes immanentes, circa quas non demonstrativè versatur.

OBJICITUR I. Ars est circa factibilia quæ relinquunt post se opus. Logica non est circa factibilia, quæ relinquunt post se opus. Ergo Logica non est Ars.

RESPONDETUR. Negango Majorem, non enim hoc exigebat Aristoteles, ut vidimus supposito primo.

OBJICITUR II. Si Logica esset Ars non esset scientia. Sed est scientia. Ergo non est Ars.

RESPONDETUR. Diverso respectu habitum practicum, posse esse scientiam, & posse esse artem, erit scientia in quantum demonstrativè procedit; erit Ars quatenus inducit formam quandam artificiatam per sua dictamina & regulas, quando verò negat Aristoteles, Artes esse scientias, negat hoc de artibus vel mechanicis, vel de artibus reduplicativè acceptis.

OBJICITUR III. Si Logica esset Ars, & simul scientia. Ergo omnis Ars potest esse scientia.

RESPONDEO. Nullam esse consequentiam, quia est à particulari ad universalem, & sicut mala est hæc consequentia. Petrus sedet. Ergo omnis homo sedet. Mala item ista. Metaphysica est sapientia. Ergo & omnes alii habitus. Ita

† Dd

6c

& ista Consequentia est nulla, Logica, ita est Ars, ut simul sit scientia. Ergo & omnis Ars, potest esse scientia. Porro non convenit (ut dixi supra) aliis artibus procedere modo scientifico, & demonstrativo, quod quia competit Logicæ, hinc Logica ita est Ars, ut simul sit scientia.

INSTABIS. Bona est hæc consequentia. Petrus est homo rationalis. Ergo & omnis homo est rationalis. Ergo etiam bona est hæc consequentia. Logica, quæ est Ars, potest esse scientia. Ergo & reliquæ possunt esse scientiæ.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, & dico bonam esse consequentiam à particulari ad universale, quando prædicatum convenit subiecto reduplicativè accepto v.g. Bucephalus qua Bucephalus, est hinnibilis. Ergo & omnis equus est hinnibilis. Mala autem hæc consequentia. Pegasus currit. Ergo omnis equus currit, quia currere non competit subiecto reduplicativè accepto. Cum ergo Logicæ, qua Ars est, non competat hoc prædicatum: Scientia, ideo quantumvis illa sit scientia, malè inferretur alias artes esse scientias.

OBJICITUR IV. Si Logica est Ars. Ergo & Physica & Metaphysica est Ars. Sequela probatur. Ideo Logica est Ars, quia efficit operationes rectas. Sed etiam Physica & Metaphysica efficit operationes rectas. Ergo &c.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Logica enim non ideo est Ars, quia operationes rectas efficit elicitive, sed quia efficit operationes rectas directive & regulative, quod nulli competit, præter Logicam.

INSTABIS. Ethica non est Ars. Ergo neque Logica.

RESPONDETUR. Negari posse quod in re, Ethica non sit Ars, inducit enim formam quandam bonitatis, in voluntatis actus, per sua dictamina.

OBJICITUR V. Si Logica esset Ars, deberet habere pro objecto ea quæ esse, & non esse possunt, & quorum principium in nobis est. Sed Logica non habet objectum tale, versatur enim circa universale, cuius principium non habetur in nobis.

RESPONDETUR. Logicam qua scientia est, versari circa universale, secus qua Ars.

DICENDUM EST II. *Dari suppositiones in quibus Logica non potest appellari facultas.*

PROBATUR. Conclusio, quia si per facultatem, intelligas potentiam naturalem dantem simpliciter posse, hoc sensu Logica artificialis, non est facultas. Ratio, quia Logica artificialis est solum facilitans, & solum præsupponens, non dans posse, si per facultatem, intelligas dispositionem indifferentem, ad bonum & malum, verum & falsum, hoc sensu Logica, non est facultas. Ratio, quia Logica est virtus intellectus, si virtus intellectus, debet esse dispositio perfecti ad optimum; si per facultatem, intelligas habi-

tum probabiliter non nisi circa utramque partem discursivum, hoc sensu Logica non est facultas; Ratio, quia artificium formæ non est probabile, sed demonstrativum & necessario concludens posito assensu præmissarum.

DICENDUM EST III. *Posse suo modo Logicam appellari facultatem.*

PROBATUR. Quia nomine facultatis venit etiam facilitatio potentiae ad actum perfectum, ut videre est in facultate Oratoria, Poetica &c. Jam autem faciliat Logica potentiam in definiendo, dividendo, &c.

QVÆSTIO II.

De Differentia Logicæ.

Differentia Logicæ petenda ex objecto, hoc autem aliud est Materiale, aliud Formale.

DIFFICULTAS I.

De Objecto materiali Logicæ.

Materia Physica habet rationem prioris respectu formarum materialium, quæ educuntur è potentia Materiæ, habet etiam rationem prioris respectu animæ rationalis, quia quamvis anima rationalis creetur, creatur tamen ad exigentiam dispositionum in Materia receptorum, ratione quarum exigentiarum Materia, etiam respectu animæ rationalis, habet rationem prioris. Ex hac proportionem objectum materiale, præ formali, habet rationem prioris. Hinc etiam de objecto materiali, præcedet tractatio, tractationem de objecto formali.

Punctum Difficultatis I.

An Operationibus Intellectus competat esse materiale Objectum Logicæ.

DICENDUM EST. Operationes intellectus esse objectum Logicæ, ita Schola Thomistica & Nominales cum illis Suar. disp. 19. Metaphysica.

PROBATUR I. Conclusio autoritate Aristotelis, qui Logicæ suæ partialis quam elaboravit, objectum, ponit operationem intellectus, hoc est argumentationem, totusque est de reliquo in præscribendis regulis definitionis, divisionis, adeoque dirigendis operationibus intellectus. &c. Idem sentit D. Th. 1. poster. lect. 1. Sicut ex hoc quod Ratio de actu manus ratiocinatur, adinventum est ars edificatoria vel fabrilis, per quam homo ordinatè & faciliter huius actus exercere potest. Eadem ratione Ars quædam necessaria est, qua sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè & faciliter & sine errore procedat, & hæc est Ars Logica, id est rationalis scientia, qua non solum rationalis est, ex hoc quod est.

est secundum rationem (quod est omnibus artibus commune) *sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.*

PROBATUR II. In quod primò & per se inducitur ratio formalis principaliter & per se intenta à Logica, illud est objectum materiale Logicae, hoc enim venit nomine materialis, sed in operatione intellectus primò & per se inducitur ratio formalis, principaliter intenta à Logica, hoc est rectitudo operationum, de quo infra. Ergò

PROBATUR III. Si Objectum materiale Logicae non sunt operationes, vel sunt omnes bonae, & sic impossibile erit ponere Syllogismum non in forma, vel omnes malae, & sic non erit possibile ponere argumentum in forma, vel sunt interdum bonae, interdum malae. Ergò sequitur illas esse objectum materiale. Quod ipsum probatur. Operationes quae se habent per modum materiae physicae, sunt objectum alicujus scientiae, quae autem possunt habere nunc hanc formam bonae operationis, nunc hanc formam malae, habent se per modum materiae physicae. Ergò erunt objectum alicujus scientiae, non alius autem, quam Logicae. Cujus enim?

RESPONDEBIS I. Operationes considerari ab Animastica.

CONTRA EST. Tum quia concedo illas considerari ab Animastica, secundum quod sunt motus animae, sed non quia rectas vel non rectas. Tum quia Animastica est scientia speculativa, hic autem agitur de considerativo practico. Tum quia ex eo, quod considerentur ab Animastica, non rectè inferitur eas non considerari à Logica, cum materiale objectum, ad plures scientias referatur.

RESPONDEBIS II. Intellectus non est capax erroris positivi, sed solum negativus, quia tunc solum censetur intellectus positivè errare circa objectum, quando aliter illud concipit, quam illud sibi sit unitum. Errare autem negativè dicitur, quando intellectus non omnino pertingit ad medullam rei.

CONTRA EST. Quidquid sit an positivè errare possimus, cur ad hunc errorem negativum tollendum, non obijciuntur Operationes, ipsi Logicae, tanquam abolitivae illius erroris.

RESPONDEBIS III. Posito errore intellectus sufficit quod intellectus dirigat seipsum. Consequenter huic directioni tanquam materiale, non erit necesse obijci operationes intellectus.

CONTRA. Concedo sufficere intellectum ad posse simpliciter se dirigere, sed nego, quod sufficiat ad facile posse; & sicut sufficit intellectus ad simpliciter posse demonstrationum Metaphysicarum, & tamen ad facile posse earundem requiritur scientia Metaphysica, ita requiritur Logica ad facile posse dirigere Operationes.

OBJICITUR I. Operationes Logicae non

sunt objectum Logicae. Sed operationes intellectus sunt operationes Logicae. Ergò non sunt objectum Logicae. Major probatur. Illud quod non potest esse specificativum Logicae, non est objectum Logicae. Objectum enim specificativum debet esse. Sed operationes Logicae non sunt specificativum Logicae. Ergò non possunt esse objectum Logicae. Minor immediata probatur. Quod est specificativum Logicae debet esse, prius Logica, nam specificativum, est per modum causae formalis, causa autem est prior suo effectu cum tamen operationes Logicae non sint prius Logica, utpote effectus & productum à Logica. Quod autem operationes intellectus sint operationes Logicae exinde probatur. Quia simplex Apprehensio, Compositio & Divisio, Illatio item, sunt operationes intellectus, & tamen eadem sunt Operationes Logicae.

RESPONDETUR. Argumentum non petere conclusionem directè, cum procedat de specificativo scientiae, quod non competit per se loquendo & ordinariè materiali objecto. Ipse etiam medius terminus non concludit, quia licet operationes Logicae elicitive & in genere efficientis, sint posteriores Logica, praesuppositivè tamen & in genere causae finalis sunt priores Logica, imò contingit universaliter in omnibus habitibus practicis, ut ponant & efficiant suum objectum, adeoque ut in genere causae efficientis, sit objectum, posterius illis.

INSTABIS. Operationes artis non sunt objectum artis. Ergò nec operationes intellectus & Logicae, erunt objectum Logicae.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum de artibus, quae mediis operationibus relinquunt post se opus, ut v.g. Sartoria vestem, in qua illa ultimo conquiescit, sed si sit ars non relinquens post se opus, ea habebit pro objecto operationes, ut ars saltandi operationes saltus. Idè; ex eo, quia cum non sint natae relinquere post se opus, poterunt tanquam in fine adeoq; tanquam in objecto quiescere in illis operationibus. Jam autem Logica non relinquit post se opus ullum.

OBJICITUR II. Materiale objectum Logicae sunt praecepta Logica. Ergò non operationes intellectus. Antecedens probatur. Instrumenta Logica debent esse objectum Logicae. Praecepta Logica sunt instrumentum Logicae. Ergò debent esse objectum Logicae. Major probatur. Artis instrumentaria objectum, debent esse instrumenta. Logica autem est ars instrumentaria.

RESPONDETUR. Id ad maximum procedere de arte per se instrumentaria, quod non competit Logicae, quia quamvis decissent aliae scientiae, posset adhuc esse Logica. Deinde etiam ars instrumentaria, debet habere pro objecto instrumenta quae facit, non per quae facit; jam autem praecepta sunt instrumenta, per quae operatur Logica, & sicut artis instrumentariae,

† *Da*

quae

quæ sit procusiva malleorum, malleus cuden-
dus est objectum, non quo cudit, sed qui cudi-
tur, ita & in præsentī non id quo facit Logica,
erit objectum; Sed quod facit: præcepta autem
sunt id quo facit, seu dirigit operationes.

OBJICITUR III. Frænfactoriæ objectum
v. g. est frænum, fræni autem objectum est e-
quus regendus, qui nullo modo spectat ad fræ-
nifactoriam, nisi remotè. Ergo & ipsæ operatio-
nes intellectus, non spectabunt ad Logicam,
nisi remotè, licet ipsa præcepta ordinentur ad
operationes.

RESPONDETUR. Cum Logica per se non
sit ars instrumentaria, non debet subesse omni-
bus proprietatibus artis instrumentariæ. Dein-
de artes instrumentariæ sunt quædam, quæ pro
ultimo fine habent nonnisi instrumenta, ut ad-
ducta frænfactoria & aliæ instrumentariæ sunt
quæ per se expetunt tanquam finem & bonum
suum, objecta ipsorum instrumentorum. Sic fa-
bri instrumenta sunt mallei, forcipes &c. quo-
rum instrumentorum objecta, sunt etiam alii
mallei, forcipes &c. Logica ergo ita habet pro
objecto instrumenta, hoc est præcepta, ut simul
etiam habeat pro objecto, & ipsum illud ad quod
tendunt illa instrumenta, hoc est operationes
intellectus. Tunc autem instrumentaria Ars
habet pro objecto objectum instrumenti, quan-
do ipsum illud objectum, est simile ipsi instru-
mento, potestque etiam in illo consequi finem,
quem intendit.

OBJICITUR IV. Objectum sensuum non
est sensatio sed sensibile, & auditus objectum
non est auditio sed sonus. Ergo & objectum
Logicæ non est operatio, sed operatum potius
aliquod.

RESPONDETUR. Hoc operatum esse ipsam
operationem, quo autem operatur esse præce-
pta, sicut quo auditur est auditio, sonus autem
est id, quod auditur. Deinde cum præter ope-
rationes nihil possit ostendi in Logica ad quod
attendat, non erit necesse recurrere ad opus ali-
quod in Logica; in auditione autem præter au-
ditionem ipsam, est ostendere sonum, seu quod
auditur. Denique disparitas est, quia objecta sen-
suum debent esse quid extrinsecum sensibus &
sensationibus, proindeque sensationes hoc obje-
ctum esse non possunt, non est autem necesse po-
nere objectum Logicæ aliquod extrinsecum.

OBJICITUR V. Operationes artis à nullo
alio fiunt quam ab arte, ut cantatio artificiosa
non fit nisi à Musica, & tamen operationes intel-
lectus, fiunt ab aliis scientiis v. g. Metaphysica.

RESPONDETUR. Operationes artis cum
suo formali spectatas, non fieri nisi ab arte, secus
si sint sine formali suo. Jam autem cum formali
Logicæ, qua tali, nulla scientia producit opera-
tiones intellectus, sed id spectat ad
Logicam.

Punctum Difficultatis 2.

*An prima operatio sit Objectum mate-
riale Logicæ.*

PRÆMITTO I. *Quid sit prima operatio*, quod
scilicet sit simplex apprehensio objecti.

PRÆMITTO II. Ex Arriaga hic disp. 2. num.
36. *Esse aliquas apprehensiones necessario rectas.*
Ratio, quia etiam sunt aliqua iudicia omnino
& necessariò recta, v. g. Iudicium de notitia,
quam in me experior.

PRÆMITTO III. Ex Oviedo hic Controv.
2. num. 25. *duplices esse apprehensiones*, alias sim-
plices, alias compositas. Simples sunt, quæ
rem apprehendunt per modum unius, sive in re
unum sit quale est, Ens ut sic, sive sit per mo-
dum nonnisi unius, quale est rationale conti-
nens in se plures formalitates; Compositæ au-
tem apprehensiones sunt, quæ objectum instar
duorum apprehendunt, ut cum apprehenditur
animal rationale per modum condistinctorum,
etiam si hæc realiter identificata sint.

PRÆMITTO IV. *Veritatem esse conformitatem
cum objecto*, falsitatem verò esse difformitatem
cum eodem, quæ conformitas si sit per modum
affirmationis aut negationis, erit veritas com-
plexa, si verò non sit per modum affirmationis
aut negationis, erit veritas incomplexa.

PRÆMITTO V. *Dari in prima apprehensione
veritatem incomplexam.* Ratio. Tum quia ita
Aristoteles lib. 3. de Anima, tex. 26. ubi expre-
sè ait: *Intellectum, qui est intellectus ipsius Quid
est*, seu essentia, *verum esse & non aliquid de ali-
quo enuntiare.* Ergo habet veritatem prima ap-
prehensio, non complexam, quia hæc est secun-
dum affirmationem & negationem. Ergo in-
complexam. Tum quia non apparet ex quo fun-
damento connectantur tantum inter se confor-
mitas cum objecto & enuntiatio aut illatio. Er-
go poterit connecti etiam cum apprehensione.
Tum quia veritas est conformitas cognitionis
cum objecto. Sed potest esse conformitas co-
gnitionis cum objecto, sine omni affirmatione
& negatione. Ergo illo etiam in prima opera-
tione dabitur. Ex hoc explicabitur Aristoteles,
qui 9. Met. tex. ultimo videtur sentire, quod in
simplicibus non sit verum & falsum, intelligen-
dus enim est de vero vel falso complexo.

Dices cum Mauro, qu. 58. Veritas non est
quæcunque similitudo, sed similitudo perfecta,
per quam res dicitur esse sicuti est, simplex au-
tem apprehensio non dicit rem esse sicuti est,
quia cum nihil affirmet, nihil dicit.

RESPONDETUR. Neg. Major. Veritas e-
nim non definitur per perfectam conformita-
tem sed per conformitatem. Probaret etiam hoc
argumentum, quod nec in secunda operatione
sit veritas, quia rem ita se habere perfectius di-
cit

cit tertia operatio, quia nunquam negabiliter. Hinc sufficit similitudo perfecta, non per inclusionem similitudinis alicui alteri debitam, sed similitudinis, cui nihil desit debiti, ad talem modum similitudinis, hoc autem competet etiam primæ operationi.

RESPONDEBIS. Cum Vsqv. esse in prima operatione veritatem, ita sicut in Medicina sanitatem, causando illam: ita prima operatio causat veritatem assumpta ad rationem secundæ operationis.

CONTRA. Tum quia non est ratio, cur in se ipsa prima operatio non sit vera, tum quia illi etiam in se ipsa spectatæ competit conformitas cum objecto. Tum quia prima operatio non solum est similitudo intentionalis causaliter sed & formaliter. Ergo & conformis erit objecto non solum causaliter, sed & formaliter.

PRÆMITTO VI. *Non dari per se falsitatem in prima operatione.* Ratio ex 9. Metaphysicorum tex. 22. Quando intellectus apprehendit aliquod objectum vel apprehendit illud, quod apprehendit, vel non apprehendit, non potest dici quod non apprehendit, cum supponatur apprehendere. Ergo apprehendit illud. Ergo verè apprehendit, alias non illud apprehenderet quod apprehendit. Idem sic proponitur. Nulla prima apprehensio, potest esse difformis objecto apprehenso. Ergo nulla potest esse falsa. Antecedens probatur. Si aliqua apprehensio esset per se difformis objecto, & esset apprehensio objecti illius & non esset, esset ut supponitur, & non esset, quia hoc ipso non illud objectum apprehenderet, cui tu dicis illam difformari apprehensionem, sed apprehenderet objectum longè aliud.

PRÆMITTO VII. *Primam Operationem esse per accidens falsam.* Ratio, quia si comparatur illa apprehensio cum alio objecto condistincto ab illo, quod apprehendit, vel quod apprehendere deberet, erit illi difformis. Sic v. g. representatio assæ columbæ in esse volantis, est representatio vera assæ columbæ volantis, si tamen comparatur cum columba, quæ assa non volat, erit illi difformis. Jam autem comparatio operationis intellectus, ad objectum, circa quod illa non versatur, est comparatio per Accidens.

DICES I. Potest prima apprehensio representare rem non sicut est in se, videlicet representare aurum pro aurichalco. Ergo potest esse per se falsa.

RESPONDETUR. Potest prima apprehensio representare rem comparata ad objectum non apprehensum, non ita sicuti est. Concedo Antecedens, potest comparata ad objectum apprehensum. Nego Antecedens & Consequentiam. Vide præmissum 7.

DICES II. Si in prima operatione non esset per se falsitas. Ergo neque erit in secunda.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia difformitas, quæ deberet esse in prima operatione, quæ est apprehensio objecti, non debet comparari ad rem prout est à parte rei, sed ad rem, prout est quid apprehensum, apprehensio namque & apprehensum sunt correlativa, se necessario & non aliud quid respicientia, ad eum modum, quo ratio Patris, non aliud respicit quam rationem Filii. Quia autem difformitas, quæ deberet esse per se in prima operatione, quæ definitivè est apprehensio objecti, est impossibilis respectu apprehensi, necessario enim apprehensum apprehendit, impossibilis etiam erit illi operationi & falsitas. Jam autem difformitas secundæ operationis, non debet spectari, secundum ordinem apprehensionis ad apprehensum, sed secundum rem prout est à parte rei, hinc dicere solemus cum falsum aliquid asseritur, Tibi ita videtur, sed res aliter se habet. Et hoc deprecatur vel ipsa natura secundæ operationis, quæ est per modum compositionis vel divisionis rerum ipsarum prout sunt, non nostrarum apprehensionum, proceditque per modum iudicii, iudicium autem non debet esse ex apprehensione de re quam iudex habet, sed de re, prout de facto se habet. Ita debet etiam procedere ipsa secunda Operatio. Et quia potest esse difformis per se, rei, prout est à parte rei secunda operatio, idè potest esse, per se falsa, cum tamen non possit esse difformis apprehensio, apprehensio per se, licet possit esse difformis, comparatè ad aliud objectum, quæ comparatio est illi per Accidens.

DICES III. Potest esse veritas incomplexa per se in prima operatione. Ergo & falsitas, quia cui unam contrariorum competit, rectè potest competere & aliud.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia habetur unde desumatur veritas incomplexa primæ operationis: nempe ab ipsomet objecto, non secundum se spectato, sed prout representatur prima apprehensione apprehendendum, cui objecto sic spectato quia est conformis, representatio, hinc habetur fundamentum, unde inferatur: haberi veritatem incomplexam in prima apprehensione. Non potest enim ostendi, unde desumi possit falsitas primæ operationis: cum illa sic apprehendens prout objectum representatur, prima apprehensione apprehendendum, semper sit conformis objecto sic sumpto; & ita cum v. g. aurichalcum presentatur ut aurum, apprehenditurque ut aurum, hæc apprehensio, non erit falsa sed vera, quia conformis aurichalco, presentanti se ut aurum, cumque impossibile sit ut aurichalcum, quod se representat ut aurum apprehensioni, aliter apprehendatur quam ut aurum, quomodo enim aliter apprehenderetur, quam ut se apprehendendum presentat? hinc non est fundamentum ut aliquando difformis sit apprehensio objecto, prout apprehendendum representatur: si non est fundamentum

ut aliquando apprehensio difformis sit objecto, prout apprehendendum representatur, nec erit fundamentum ut aliquando apprehensio sit falsa, comparatè ad objectum, prout apprehendendum præsentatur.

DICES IV. Imago Cæsaris dicitur per se non vera, quando illa objectum difformiter repræsentat. Ergò idem dicendum de apprehensione, quæ est prima operatio.

RESPONDETUR. Etiam Imago Cæsaris comparata ad ideam quam habuit pictor, est vera, licet comparata ad ipsum Cæsarem sit difformis.

INSTABIS. Illa imago est representatio per se difformis Cæsari, Ergò per se est imago Cæsaris falsa.

RESPONDETUR. Quod per se etiam illa imago nihil aliud velit exprimere, nisi talem vultum, qualem illa repræsentat, sed per accidens dat occasionem cogitandi de Cæsare, exprimitque eum occasionaliter; sed Cæsari illam esse difformem per accidens est, eo ferè modo, quo imago alicujus alius, non dicitur imago falsa Cæsaris, quia Cæsari est difformis, cum illa imago, non sit ad hoc facta, ut Cæsarem repræsentaret. Casu etiam, quo intentio pictoris fuerit Cæsarem pingere, si imago ad illum non accedat, non debet dici per se falsa imago Cæsaris, nam sicut qui intendit ferire scopum, & ab eo aberrat, non dicitur scopum tetigisse falso, sed dicitur tetigisse aliquid vicinum scopo, ita & hic, si Philosophicè loqui velimus, non dicitur hæc Imago Cæsaris esse falsa. Imaginare in speculo repræsentari vultum Petri, similis Cæsari, imago illa in speculo resplendens, sicuti est per se imago Petri, ita est per se conformis Petro, quamvis sit per accidens imago Cæsaris, quod det occasionem cogitandi de Cæsare, estq; per accidens nonnisi falsa imago Cæsaris. Idem dic de apprehensione in prima Operatione.

DICES V. Visio potest esse falsa. Ergò & prima Operatio. Antecedens probatur. Quia fallitur oculus, dum videt colores in collo columbæ, qui nulli illic sunt.

RESPONDETUR. Veritatem non spectare ad sensus, sed hoc misso. Dici potest visionem illam esse posse falsam, si comparetur ad objectum, prout in se est, supponitur enim varietatem colorum esse illic ex sola refractione lucis, non esse tamen falsitatem, comparatè ab objectum, prout est representatum.

INSTABIS. Quare non potest dici, quòd etiam Judicium secundæ Operationi debitum, sit Judicium conforme objecto non nisi prout apprehenso, & non objecto prout est in se.

RESPONDETUR. Hujus rationem adlatam esse ad objectionem secundam, deposcitque hoc vel ipsa natura providens perfectiorem modum operationis, adeoque veritatis intimius attractivum, & ex præsupposita conformitate apprehen-

sionis ad representatum, procedens ad conformitatem cum objecto, per modum Judicii.

DICENDUM EST. *Primam operationem esse etiam objectum materiale Logice.*

PROBATUR I. Auctoritate S. Th. opusculo 9. in libro post Anal. lect. 1.

PROBATUR II. Etiam posito quod prima operatio non possit esse per se falsa, potest adhuc esse per se recta & procedere secundum regulas Logicæ. Ergò & esse objectum materiale ejusdem.

PROBATUR III. Quia quamvis non possit esse per se falsa prima operatio, comparata ad apprehensum, indiget tamen rectificari ut rectè procedat per ordinem ad ipsum objectum ut est in se, cum enim illa prima operatio debeat esse definitiva verè, & verè divisiva, verè debet esse conformis rebus. Ergò adhuc dabit in se locum directioni Logicæ.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Quod non potest esse per se falsum, non potest per se dirigi. Prima operatio non potest esse per se falsa. Ergò non potest per se dirigi.

RESPONDETUR. Negando Majorem propter dicenda inferius, & quamvis non possit esse per se falsa, sufficit quod dirigatur ut possit esse per se conformis vel difformis præceptis Logicis intendentibus, non tantum ut apprehensio, sit conformis rei, prout repræsentata, sed etiam rei, prout est in se.

INSTABIS. Independentè ab omnibus præceptis Logicis definitio habet hoc quod sit bona.

RESPONDETUR. Independentè à præceptis Logicis absolutè, potest esse definitio bona, non tamen ut dictum supra cum facilitate potest esse bona, independentè à præceptis Logicis.

OBJICITUR II. Phantasia & sensus non indigent directione. Ergò neque prima operatio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia nec apparent præcepta, quibus phantasia & sensus dirigantur, dantur autem præcepta Logica. Deinde, quia potentia determinata etiam ad modum operandi, non potest non uniformem habere semper operandi modum; jam autem intellectus circa primas apprehensiones, non habet eundem determinatum agendi modum, nunc enim definit, nunc dividit, potestque conformiter vel difformiter operari objecto ipsi, adeoque dat locum directioni.

OBJICITUR III. Dialectica nulla tradit præcepta ad apprehensiones simplices eliciendas.

RESPONDETUR. Cum Oviedo. Nulla dati præcepta ad simplices apprehensiones prout sunt nonnisi cognitio, licet dentur regulæ ad easdem, prout sunt definitivæ, divisivæ, universalis conceptivæ &c.

IN-

INSTABIS. Corrigere apprehensiones pertinet ad alias scientias.

RESPONDETUR. Sicut ipsa definitio & divisio qua talis, non spectat ad alias scientias, ita nec correctio talium apprehensionum.

Punctum Difficultatis 3.

An secunda Operatio & non solus Syllogismus sit materiale Logicæ.

DICENDUM EST. Etiam secundam Operationem, & non solum Syllogismum, esse objectum materiale Logicæ.

PROBATUR I. Quia etiam secunda operatio potest bene vel male fieri, sitque tam variè. Ergo est capax directionis.

PROBATUR II. Si secunda operatio non esset objectum Logicæ, remanente secundâ operatione & impossibili tercia operatione syllogistica, non esset possibilis Logica saltem partialis, nam est nexus essentialis, scientiæ, ad objectum. Hinc manere scientiam sine objecto, esset manere essentiam sine essentiali, sed manente secunda operatione & impossibili syllogistica, maneret adhuc partialis Logica, quia adhuc maneret regulæ rectificativæ Æquipollentiarum, adeoque possent esse æquipollentes regulæ, item de Oppositione, Conversione &c. Ergo

RESPONDEBIS I. Actus illos seu præcepta, quæ informarent intellectum, de Æquipollentia, Conversione, Oppositione propositionum, & operationes secundum illas factas, non fore actus Logicæ.

CONTRA. Quia actus, qui essent circa elementa, secundum quod sunt corpora naturalia, impossibili etiam reddito misto, adhuc essent Actus Physicæ, reperiret enim adhuc in illis Physica, suam scibilitatem, cur non enim? Ergo etiam Definitiones & Divisiones in dicto casu, essent actus Logicæ. Tum quia nec Physica nec Metaphysica tunc practicè diceret, quomodo illi actus essent faciendi. Ergo diceret Logica. Ergo adhuc illi actus forent Logicæ. Tum quia nulla esset disparitas inter præsentem Æquipollentiam & illam quæ nunc fieret. Ergo utraq; spectaret ad Logicam.

RESPONDEBIS II. Cum Conimbricensis. Logicam quæ modo est, esse inventam ad id emandandum, quo deficiamus ab Angelis, deficiamus autem ab Angelis in hoc, quia ex uno inferimus aliud, cum illi omnia simul cognoscant, cum ergo Enunciatio non syllogisaret, nec eam dirigere, nata erit Logica.

CONTRA. Quia deficiamus ab Angelis etiam in hoc, quod malas contradictorias formemus, quod ad secundam spectat Operationem. Ergo etiam in hoc corrigi debemus,

RESPONDEBIS III. Mansuram illam Logicam in dicta suppositione, non ejusdem speciei, quæ modo est.

CONTRA. Quia si hoc sensu non manebit Logica ejusdem speciei, hoc est, quia non habebit eandem totalitatem, vera est responsio, sed non est contra nos. Si autem hoc sensu non erit ejusdem speciei, quia nihil manebit de formali intento Logicæ, hoc ipsum probandum fuit; & si, ut dictum supra non posset disparitas tunc in æquipollentis assignari, siquidem illi actus iisdem præceptis inniterentur, consequenter nec esset ulla specifica diversitas.

PROBATUR III. Tum quia independentè à tercia operatione, secunda Operatio est Operatio intellectus. Ergo independentè ab illa, erit etiam materiale Logicæ. Tum quia non est ulla specialis operatio voluntatis, quæ sit materiale Ethicæ, exclusis reliquis. Ergo nec excludi debet ab objecto materiali Logicæ secunda operatio. Tum quia ponamus Deum nolle concurrere ad ullum actum tercia operationis vel producere creaturam non potentem argumentari, potentem tamen affirmare & negare, æquipollentias & conversiones facere &c. Tunc quæro, vel poterit homo elicere actus malos Conversionis vel Oppositionis Propositionum vel non poterit? si non poterit, cur non? cum possit cum tali defectibilitate, stare suppositio allata, si poterit etiam malos elicere. Ergo dabitur Locus directioni secundæ Operationis. Ergo illa est objectum materiale Logicæ.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis 1. priorum cap. 1. ubi dicit investigandum esse. Quid & cuius sit consideratio, responderetque quod sit consideratio Demonstrationis, & postea inquit, quid est propositio & quid Terminus.

RESPONDETUR. Hoc ipso, quia saltem posterius Propositio & Terminus ab Aristotele considerantur in Logica, ostenditur illa esse materiale Logicæ. Syllogismusque est objectum Logicæ, in quantum perfectæ & illustratæ ab Aristotele, non autem Logicæ simpliciter. Est autem Logicæ, ab Aristotele illustratæ, solus Syllogismus objectum, quia artificium syllogisandi, primus ille enucleavit. Jam enim definitionem perfecerat Socrates. Divisionem Plato, restabat illi, perficiendus Syllogismus.

OBJICITUR II. Secunda operatio non facit formaliter scire, sed id competit non nisi tercia operationi. Ergo secunda operatio, non potest esse materiale Logicæ.

RESPONDETUR. Secundam operationem sicut & primam, non facere formaliter scire per discursum, & modo maxime hominibus proprio, facere tamen formaliter scire sine discursu, & modo non obvio hominibus nec proprio. Est enim quidam modus cognoscendi merè & obviè humanus, qui in duobus consistit, primò in

usu phantasmatum materialium, eo quod nostræ scientiæ dependeat à sensibus. II. In modo rerum cognoscendarum, qui est ex uno noto, devenire in cognitionem ignoti, & hæc cognitio vocatur discursus. Alter verò cognoscendi modus, est quædam imitatio modi cuiusdam Divini & Angelici cognoscendi, qui modus cognoscendi in hoc est dissimilis Angelico, quia dependet à phantasmatibus materialibus & sensibus, in hoc autem est similis, quia sicut uno actu & intuitu plura noscunt, ita & nos unico actu indivisibili, plura etiam interdum cognoscimus, idq; conformiter ad objectum, & sine ullo discursu & illationibus formalibus, quas etiam non faciunt Angeli, & hoc maxime apparet in definitione, quæ licet in ante prærequirat ordinariè cognitionem v. g. animalis & rationalis, in ipso tamen actu definiendi utrumque hoc uno intuitu cognoscit. Nec officit, quod non discurrat, quia & DEUS Angelique non discurrunt, & tamen salvatur in illis ratio scientiæ, ipsaq; propositiones possunt esse certæ & evidentes, unde propositionibus tribuitur, quod sint æternæ veritates, adeoque scientifiæ, licet usus communis, nomen scientiæ potissimum discursui applicet, tanquam magis obvio modo. Definitiones enim v. g. non sunt obviæ, & paucissimæ habentur. Ex quo deduces licet secunda operatio non faciat formaliter scire discursive & modo hominibus proprio antonomasticon, facit tamen formaliter scire, modo ut ita dicam Angelico & divino.

INSTABIS I. Propositio non est Ratiocinium, quantumvis sit certa & evidens, neque est cognitio per causam. Ergo secunda operatio non facit formaliter scire.

RESPONDETUR. Negando solum Ratiocinium facere scire. Debetque scientia esse per causam, ea, quæ est magis obvia in humanis, sed non scientia absolute.

INSTABIS II. Per secundam operationem tanquam per instrumentum sciendi, non deveniunt scientiæ ad cognitionem conclusionum de suis objectis.

RESPONDETUR. Tam per definitiones in suis materiis, quam per enunciationes, consequi finem suum scientias; nec est necesse omnem modum scientiæ deservire ad cognitionem conclusionum, cum non sola cognitio conclusionum sit modus sciendi. Et si istud deservire conclusionibus, sit unice ad scientiam necessarium, sufficiet deservire aptitudinale & in potentia, licet non deserviat actu, quod deservire aptitudinale, competit enuntiationi comparatè ad syllogismum.

INSTABIS III. Nec divisio & enuntiatio divisiva, facit formaliter scire, habet enim se per modum interrogationis nihil determinatè adstruentis, nihil autem determinatè adstruere, est utique nescire, perinde, ut nescitur, qualis est hic vel ille, dum dicitur est aut ruber aut niger.

RESPONDETUR. Falsum esse quod nihil determinati adstruat divisio aut enuntiatio divisiva, quia si conclusio per discursum illata, quæ infert animal aut esse rationale aut irrationale, facit rem determinatè scire, etiam divisio id habebit. Determinatione illa non orta quidem quasi unum non plura notificentur, sed ex eo, quod de illis pluribus determinatè notitia certa & evidens habeatur, qualis determinatio non habetur, dum nescio an Petrus sit ruber, cum possit esse albus, determinatè autem scitur animal esse aut rationale aut irrationale.

Quamquam formaliter scire, in quo se fundat medius terminus, non est formale, Logicæ, cum id potius spectet ad scientiam in communi.

OBJICITUR III. Ita se habet argumentatio in Logica, sicut Oratio in Rhetorica, sed objectum attributionis Rhetoricæ est Oratio. Ergo & hic argumentatio. Secunda autem operatio non est argumentatio.

RESPONDETUR. Etiam Orationem in Rhetorica sumptam pro illo opere Rhetorica, quod constat Exordio, Confirmatione &c. non esse objectum attributionis, sed potius Orationem sumptam, pro quacunque locutione copiosa & ornata, ex quo sequetur operationem intellectus non tantum sumptam pro tertia operatione, sed & alias esse objectum Logicæ.

Punctum Difficultatis 4.

An tertia Operatio, & non sola demonstratio sit Objectum materiale Logicæ.

DICENDUM EST. *Materiale Objectum Logicæ esse, tertiam etiam Operationem, & non solum demonstrationem.*

PROBATUR. Conclusio lisdem argumentis, quibus & superior.

CONFIRMATUR. Conclusio ex Oviedo. Objectum attributionis debet esse tale, ad quod omnia in scientia revocentur. In Logica, non omnia revocantur ad demonstrationem. Ergo non est Objectum attributionis. Minorem probat. De syllogismo probabili agit Logica, qui non revocatur ad Demonstrationem, neque enim syllogismus probabilis est pars Demonstrationis, neque præsupponitur ad Demonstrationem, imò est species essentialiter opposita & dividens syllogismum in communi. Partes autem essentialiter oppositæ, non ordinantur ad se.

RESPONDEBIS. Syllogismum probabilem non ordinari ad Demonstrationem, cognitionem tamen syllogismi probabilis ordinari ad cognitionem demonstrationis. Cognitionem enim contrarii ducit ad cognitionem alterius.

CONTRA EST. Ergo etiam & cognitio demonstrationis referretur ad cognitionem Syllogismi

gismi probabilis, quia æquæ demonstratio est opposita syllogismo probabili, atque illa demonstrationi. Consequenter non sola demonstratio, sed & syllogismus probabilis, erit Objectum Logicæ. Deinde ex vi hujus responsionis innuitur, quod cognitio Demonstrationis, sit potius objectum Attributionis, ad quam ipsa cognitio syllogismi probabilis referatur. Denique si cognitio syllogismi probabilis referretur ad Demonstrationem, vel referretur ratione dispositionis terminorum, quam habet probabilis syllogismus; vel ratione materiæ. Non ratione dispositionis terminorum, quia hæc utrobique scientifica & demonstrativa est: non ratione cognitionis materiæ, quia hoc ipso non referretur cognitio Syllogismi probabilis ad cognitionem Demonstrationis, cognitio enim materiæ syllogismi probabilis, non est cognitio syllogismi probabilis. Addo (quod in hac Materia fundamentum repeti debet) quamvis concederetur posse revocari syllogismum probabilem ad Demonstrationem, quia tamen independentem ab hac revocabilitate potest informari syllogismus probabilis formali Logicæ, fiet ut syllogismus probabilis sit per se considerabilis in Logica.

RESPONDEBIS II. Non ordinari cognitionem Demonstrationis ad cognitionem probabilis syllogismi, quia Demonstratio est quid principalius.

CONTRA EST. Ex eodem Oviedo. Tum cognitio speciei imperfectioris v.g. muscæ non ordinatur ad cognitionem speciei perfectioris, hoc est hominis. Ergo & in presenti idem dicendum. Tum quia æquæ conducit cognitio syllogismi probabilis, ad cognitionem demonstrationis, quam cognitio demonstrationis, ad cognitionem syllogismi probabilis, cum sit cognitio objecti, quod est commune, & demonstrationi, & topico syllogismo, nempe Artificium Logicum, seu bonitas consequentiæ. Ergo quamvis Demonstratio sit quid nobilior, cognitio tamen illius nobilioris, in hac consideratione, non excedet cognitionem illius ignobilioris. Tum quia syllogismus probabilis, comparatus ad demonstrationem non habet se ita, sicut Ens rationis comparatum ad Ens, aut sicut oppositum comparatum ad objectum attributionis in quibuscunque scientiis. Ens enim rationis vel non Ens, non est verè Ens, syllogismus autem probabilis, est verè syllogismus, sed habent se isti duo syllogismi, ita sicut calor & frigus, quæ quantumvis sint opposita, quia tamen utrumque est qualitas, ideo utrumque per se consideratur à Physica. Ergo etiam & syllogismus topicus, per se considerabitur à Logica.

Ceterum si nomine objecti attributionis veniat, ut apud aliquos venire solet principalis species objecti, & nobilissima. Hoc sensu demonstratio esset objectum attributionis, sed non debet eo sensu accipi à objectum attributionis.

OBJICITUR I. Sola demonstratio est finis ultimus Logicæ. Ergo & sola objectum. Antecedens probatur. Illud est finis ultimus Logicæ, in quo continetur adæquata perfectio intellectus, sola autem demonstratio supponit, aut includit, omnes tres operationes.

RESPONDETUR. Negando illas supponi aut includi in sola demonstratione, cum hoc competat etiam syllogismo cuilibet. Deinde tam in syllogismo quam in demonstratione includuntur omnes tres Operationes sub aliqua sciibilitate, sed non sub omni, possunt enim considerari tanquam tota quædam; sicut in Physica considerantur elementa, non tantum tanquam partes misti.

INSTABIS. I. Per solam demonstrationem exhauritur cognoscibilitas objecti, quod ipsum probatur. Quia per illam solam cognoscimus partes, essentiam, passionem, effectum objecti. Ergo sola demonstratio est finis ultimus Logicæ.

RESPONDETUR. Negando Antecedens cum sua probatione. Et quamvis concedam per demonstrationem potissime & principaliter exhauriri cognoscibilitatem objecti, dico tamen etiam per definitionem qua totum quoddam est artificiale, exhauriri sciibilitatem definibilitatis objecti.

INSTABIS. II. Exercitium intellectuale ultimæ differentie hominis, est ultima perfectio intellectus humani, sola demonstratio est hoc exercitium. Ergo & sola est ultima perfectio intellectus humani. Sed perfectio ultima intellectus humani est objectum Logicæ. Ergo & demonstratio.

RESPONDETUR. Quod ad maximum exercitium adæquatum intellectualem, sit ultima perfectio, non autem inadæquatum, quale est demonstratio. Dixi etiam supra, quod quædam sit in nobis participatio modi cognoscendi Angelici, quæ elucet in definitione, quæ indubiè non est demonstratio, & tamen in suo genere, ultima perfectio.

INSTABIS III. Si non ponatur demonstratio, non quiescit intellectus, sed nititur ad illam habendam. Ergo illa sola complet perfectiorem intellectus humani.

RESPONDETUR. Etiam, si non ponatur definitio, non quiescit intellectus, sed nititur ad illam habendam. Hinc falsa est hæc Major. Omne illud & solum, quo non posito non quietatur intellectus, sed nititur ad illud habendum, est ultima perfectio intellectus humani.

OBJICITUR II. Definitio & Divisio natura sua sunt partes demonstrationis. Ergo in ordine ad illam considerantur. Cognitio enim partis, refertur ad cognitionem totius, jam autem definitioni, non accidit esse partem demonstrationis.

RESPONDETUR. Cognitionem partis ordinari ad cognitionem totius, ita tamen ut sub diversa considerabilitate possit illa pars, habere rationem

rationem totius, adeoque habere rationem considerabilitatis, non tantum per modum partis. Nego autem quod definitioni non competat ratio considerabilis à Logica, in quantum totum quoddam est, rei naturam explicans, independenter ab hoc, quod ingrediatur demonstrationem.

INSTABIS. Definitio natura sua est illativa conclusionis demonstrativa, est enim illativa cognitionis de proprietate illius naturæ, cuius est definitio.

RESPONDETUR. Non sub omni considerabilitate, definitionem esse illativam conclusionis, sed nonnisi sub aliqua.

OBJICITUR III. Habitus instrumentarii objectum est illud, quo habitus principales, quales sunt, Physica & Metaphysica finem suum consequuntur. Atqui hi habitus per solam demonstrationem finem suum consequuntur. Ergo hæc sola est objectum.

RESPONDETUR. Negando, quod Logica rigorose sit habitus instrumentarius. Negando item quod Metaphysica non habeat pro fine etiam cognitionem, quæ in suo genere est perfecta cognitio, qualis est cognitio definitiva.

Punctum Difficultatis 5.

Colligitur Objectum materiale Logicæ, ubi & de Conceptibus objectivis.

COLLIGES. Ex hæcenus allatis omnes tres Operationes esse objectum materiale Logicæ. Præter jam soluta opponuntur adhuc quædam.

DICES. I. Cum præ Adriano Picarski, Nomina ista numeralia, prima, secunda, & tertia Operatio, non exprimunt id, quod est in re hæc, aut illa in specie Operatio intellectus, sed solum ordinem unius ad aliam; & sicut non rectè assignaretur in Physicis Objectum, Materia prima & secunda, esse enim primam, aut esse secundam, non exprimit rationem corporis ut sic. Ergo neque bene tres operationes assignantur Objectum Logicæ.

RESPONDETUR. An aliqua nomina rem aliquam exprimant vel non exprimant, pensandum est ex acceptance humana. Cum enim voces sint signa ad placitum, si placitum accesserit has vel illas res, his vel illis nominibus designare, hoc ipso designant bene. Tres ergo dictæ Operationes, si sumantur secundum id, quod dicunt etiam implicite, & secundum acceptance uſu jam tritam, bene exprimunt id quod est in re, hoc est, actus simpliciter apprehendendi, qui pertinent ad primam operationem, actus enuntiandi, qui ad secundam operationem, & actus inferendi, quod officium tertiæ operationis, licet explicite non importent id illa nomina numeralia. Porro objectum Physicæ, nomine

materiæ primæ & secundæ, non rectè exprimeretur, quia quamvis non sit corpus nisi Materia prima & secunda, usus tamen communis & acceptio ad significandam rem corporis, non determinavit voces illas, primam & secundam materiam. Illustratur hoc Instantia. Forma baptismi est. Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & tamen hæc forma: Ego te baptizo in nomine DEI, invalida est. Quia licet in re DEUS, sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus, usus tamen communis pro distincta omnium personarum compellatione, nomen hoc DEUS non acceptavit. Ita & hic usus, non acceptavit nomen materiæ primæ & secundæ, ad significandum corpus, acceptavit autem nomen trium operationum, ad rem apprehendendi, enuntiandi, inferendi significandam. Jam verò acceptasse usum communem nomen hoc trium operationum, ad rem operationum significandam, vel inde colligitur, quia si quæretur ex oppositis independenter à disputatione, an teneant pro objecto tres operationes intellectus: non sunt quæsituri, quid significant tres operationes, sed tantum sunt dicturi non tenemus.

DICES II. Cum eodem non constat inter Animasticos, an tantum tres sint operationes intellectus. Ergo falsò supponitur tres operationes esse objectum Logicæ.

RESPONDETUR. A Classicis tres tantum teneri, conclusioque procedit ex suppositione, quod non nisi tres sint.

INSTAT. Datur in quolibet syllogismo iudicium de bonitate consequentiæ, quod sit specie diversum à iudicio purè enuntiativo & purè illativo. Ergo dantur plures operationes quam tres.

RESPONDETUR. Etiam si illud Iudicium foret specie distinctum à purè enuntiativo, nego quod revocari non possit ad iudicium illativum, ut sicut iudicium negativum, specie differt à iudicio affirmativo, & tamen utrumque continetur sub specie iudicii. Ita & illud iudicium de bonitate consequentiæ, revocabitur ad iudicium illativum ut sic. Parum etiam referret, si velles ita circumscriptum iudicium revocatum ad iudicium enuntiativum, si teneas illo iudicio nihil inferri.

DICES III. Cum eodem possibilis est intellectus, qui solis prima & secunda operatione polleat, non indigens unum inferre ex alio, componendo tamen ac dividendo iudicaret, contra quam de facto fiat in Angelico intellectu. Ergo immerito assignantur pro objecto tres operationes.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Logica enim inventa est, ut perficiat intellectum humanum hunc qui est, qui autem est, habet tres operationes intellectus, & respectu illius possibilis intellectus, Logica nonnisi inadaquatum objectum haberet.

DICES

DICES IV. Cum eodem etiam volitio potest dici operatio intellectus, quia ex probabili sententia, docetur, efficienter causari ab intellectione volitionem. Ergo operatio intellectus, est nomen ambiguum.

RESPONDETUR. Non esse hoc nomen ambiguum spectata acceptione communi, quæ significationem Ly: operationi intellectus, applicuit ad significandos actus non nisi intellectus, quamvis posset hoc nomen esse ambiguum non spectata acceptione communi.

DICES V. Cum eodem si objectum materiale Logicæ essent operationes, haberent se per modum specierum objecti. Sic se non habent, quia species objecti, debent esse oppositæ, ut rationalitas brutalitati, prima autem operatio includitur in secunda, secunda in tertia: Opposita autem se non includunt.

RESPONDETUR. Sufficere ut species objecti opponantur sibi formaliter, secundum quod tota quædam sunt, quamvis in quantum partes diverso respectu sunt, non sibi opponantur. Sic v.g. species numeri scilicet binarius, ternarius, &c. opponuntur sibi, si formaliter sumantur, materialiter tamen accepti, includunt se.

QVÆRES. An soli Conceptus formales, an objectivi etiam, vel utrique sint objectum materiale Logicæ.

Nomine Conceptus formalis in quantum hic de illo decidetur, venit operatio faciens & formans cognitum in cognoscente, seu produciens verbum mentis, possetque vocari Intellectio, & formalis representatio ut Quo. Nomine autem conceptus objectivi duo venire possunt, in primis ipsa representatio ut Quo, eaque intentionalis, ipsum verbum Mentis, & hoc, cujus representationem intentionalem, intendit conceptus formalis; sic sumptus conceptus objectivus, in sententia negante verbum mentis per distinctam actionem produci, idem est in re cum formali conceptu. Consequenter jam sic sumptus conceptus objectivus, cum sit ipsum verbum mentis, produciatur ab intellectu. Deinde nomine conceptus objectivi, venire potest ipsum objectum reale, & objectum ut ita dicam ipsius illius supra definiti objectivi conceptus. De conceptu objectivo, in hac secunda acceptione sumpto, agatur inferius, ubi tractabitur: an res sint objectum Logicæ. Comparando autem conceptum formalem cum objectivo in priori acceptione sumpto, videntur immediatius objectum esse formales conceptus, quia immediatius illius præscribitur modus operandi, immediatiusque in illos inducitur rectitudo Logicæ.

DIFFICULTAS II.

De Objecto formali Logicæ & de Objecto attributionis.

Non quæretur hic de objecto formali motivo, sed de objecto formali terminativo

materialis, & restrictivo ad rationem hujus vel illius scientiæ.

Punctum Difficultatis I.

Premittuntur quedam de rectitudine Logicæ.

PRÆMITTO I. Quid sit rectitudo Logicæ ex modo nostro concipiendi. Rectitudo concipitur à nobis tanquam ratio formalis recti. Rectum verò in communi dupliciter accipitur. I. Participialiter, hoc est, derivatum à verbo Rego, ut dicitur: recta est hæc Provincia ab hoc Duce. II. Accipitur rectum pro eo, quod non est inflexum, curvum, flexuosum. Utraque hac acceptione possunt dici operationes rectæ, nam etiam operationes, quas direxerunt regulæ Logicæ, possunt vocari rectæ, sed & secundo modo possunt vocari rectæ, per negationem declinationis & abscessus ab eo, à quo debent non abscedere. Hoc ipsum, ut proportionaliter ad rectitudinem materiale explicetur, attendendum erit quid doceant Mathematici de linea recta.

LINEAM RECTAM APPELLANT MATHEMATICI EAM, quæ ex æquo sua interjacet puncta, quod idem est, ac dicere, quod æqualiter inter sua puncta extendatur, hoc est, in qua nullum punctum ab extremis sursum aut deorsum deflectit, & ita si assurgat aliquid sursum, non erit linea recta, quia neque erit æqualitas, cui æqualitati contrariatur excessus, quem importat sursum. Si etiam minuatur aliquid deorsum de cursu intersectorum lineæ, non erit linea recta, quia nec æqualis, cui æqualitati opponitur defectus. Eam rectitudinem ut imaginentur Mathematici fingunt indivisibile aliquod punctum fluere, ita ut nec in hanc nec in illam deflectat partem, sed æquabilem quandam motum ac incessum teneat. Dicuntque tunc describendam lineam, quæ perfectissimè recta foret, de qua etiam enuntiant, quod scilicet per lineam rectam à termino ad terminum brevissimum sit iter. Et hac rectitudine lineæ ut sic constituta, ea quæ cum hac linea concordabunt recta dicentur, quæ non concordabunt, flexuosa & non recta erunt.

APPLICANTUR HÆC ad præsens. Datur rectitudo objectiva operationum v. g. Definitionis, scilicet, quæ nec per excessum nec per defectum deflectit, attendit ad hanc rectitudinem præceptum Logicæ, præscribitque regulas excessus abjiciendo, & defectus subrogando, si enim ponatur genus supremum, erit excessus sursum, si non ponatur ultima differentia, erit defectus. Adeoque conficitur jam regula, cui quidquid circa definitionem conforme erit, rectum Logicæ in definiendo erit. Unde horum præceptorum rectitudo, est quasi fluxus æquabilis ad

ad veritatem objecti, ad quam indaganda sunt inventa; & sicut recessus à linea recta facit flexuram, curvitatem & irreclititudinem; ita recessus à præceptis, facit irreclititudinem operationum. Rursus sicut per lineam rectam à termino ad terminum brevissimum est iter: ita ad indagandam veritatem & faciendos actus artificiosos, brevissimum est iter, conformitas cum præceptis. Breviter ergò Rectitudo operationum in eo erit: ut sit conformitas operationum cum præceptis, & non sit recessus ab ista regula, à quâ recessus, irreclitudo est.

PRÆMITTO II. *Quid sit in re rectitudo operationum*, & dico rectitudinem hanc non esse Ens rationis, quia nec rectitudo moralis est Ens rationis, quia aliàs facere operationes rectas moraliter, esset facere Ens rationis, & DEUS præmiando istas operationes, Ens rationis præmiaret. Ex modo tamen nostro concipiendi in ista conformitate involvitur Ens rationis. In re autem hæc rectitudo, nihil aliud est nisi Entitas actus continens ea, quæ continenda dicunt præcepta Logica. Hinc hæc rectitudo, indicat ipsam Entitatem actus esse, quid intrinsecum actui, quid enim magis intrinsecum actui, quàm ipsa Entitas, importat tamen etiam aliquod connotatum, nempe ipsa præcepta quibus conformatur.

PRÆMITTO III. *Rectitudinem operationum in quantum sunt considerationis Logice duplicem esse*. Quandam rectitudinem activam, quandam passivam. Rectitudo activa ex Oviedo est, Dictamen illud vel præceptum vi cuius præscribitur modus, quo faciendum est Opus. Et sic præceptum illud: Definitio debet constare genere & differentia, est directio activa; directio autem passiva vel formalis, est illa, quæ respondet ipsi dictamini vel præcepto, adeoque ipse actus noster formaliter.

PRÆMITTO IV. *Rectitudinem activam, quæ oritur ex præceptis duplicem esse*. Sicut & ipsa præcepta duplicia sunt. Quædam enim sunt affirmativa, ut cum dicitur definitio debet constare genere & differentia, quædam negativa: ut cum dicitur: syllogismus non debet constare quatuor terminis, hæc præcepta positiva respiciunt immediatè rectitudinem, negativa autem primo & per se intendunt vitiationem irreclitudinis, mediante autem hac vitiatione, ipsam rectitudinem.

PRÆMITTO V. *Quomodo ipsum dirigi & rectificari operationum perficiatur*. Fit id dupliciter: I. Remotè, quando intellectui præscribuntur regulæ faciendi v. g. si Definitio faciendâ sit, fiat per genus infimum & differentiam ultimam. II. Fit proximè directio per influxum immediatum in ipsammet formalem operationem. Hic influxus aliter fit in habente habitum Logicæ, aliter in illo qui non habet habitum Logicæ. Ille qui non habet habitum Logicæ,

quamvis sit præceptis Logicis instructus, in ipso actu eliciendi, facit actualem reflexionem circa præceptum, & mediante hac reflexione, dirigunt illum præcepta ad faciendas operationes rectas, & si illum non dirigerent, dicerem illum nunquam v. g. posse argumentari, ante cognitionem enim præceptorum, nesciebat argumentari, præcepta etiam quæ scit nihil illum juvant, quia non est intelligibile qui illum juvent, nisi mediante illa operosa reflexione, aut saltem directâ sui penetratione, quâ si non habeatur, æque ut ante, nesciet argumentari. Imò si illum in ipso actu argumentandi non dirigunt præcepta, unde fit ut interrogatus, cur ita faciat? citet præceptum Logicum. Ille verò qui habet habitum Logicæ, licet sine reflexionibus, dirigatur tamen ipsis præceptis, quamvis se ad hæc non reflectat, & sicut conferens Sacramenta Sacerdos, dicitur virtualiter dirigi, in collatione Sacramentorum, per intentionem virtualem, seu habere intentionem virtualem, quando interrogatus, quid faciat ex vi præsentis dispositionis, est expeditus dicere: Confero Sacramentum. Ita ex facilitate operans, dirigetur adhuc præceptis, nam interrogatus, quare ita operetur? dictamina Logica, tanquam regulam faciendi citabit. Contingit hoc in Logicis ad eum modum ut in pictoribus, qui nondum perfecti, imagines ante se ponunt, ad easque frequenter oculis & mente se reflectunt, qui verò ex ipsa eaque propria idea operantur, tales reflexiones non faciunt, nec istas imagines ante se habere curant. Sic & habituales Logici non curant actuales reflexiones ad dictamina Logica, sine quibus incipientes nihil operantur. Quomodo fiat hæc directio; ut concipias melius, imaginare sagittarium, qui discipulum suum dirigit in sagittando, primò remotè, dando illi præcepta tenendi arcus, sagittæ locandæ, pedum figendorum; secundò proximè, quando ipse, secundum illa præcepta arcum tendit, sagittam collocat. Neque dicendum est, quod tunc in ipso actu tendendi arcus, non dirigatur illis præceptis, aliàs æquè semper malè tendet arcum, ante enim præcepta non sciebat illum tendere, nunc etiam illum præcepta non juvant, Ergò & nunc illum malè tendet. Applica idem ad præcepta Logica.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur Objectum Formale
Logicæ.

DICENDUM EST. *Objectum formale Logicæ esse rectitudinem Logicam*. Ita Suarez, Arriaga, Oviedo &c.

PROBATUR CONCLUSIO I. *Quia in habitibus practicis illud est objectum formale, quod est forma, quæ fit vel inducitur ab illa scientia*.

scientia practica. Sed Logica est habitus practicus, ut supra probavi, forma etiam quam inducit est dicta rectitudo. Ergo dicta rectitudo, est objectum formale Logicæ. Major probatur Inductione. Domifactoriæ objectum formale, est, forma domus, Musicæ formatio vocis, Sutoriæ forma calcei. Hæc ipsa Major probatur. Ratione. Finis intrinsecus scientiæ practicæ, est objectum illud formale; unde specificantur practicæ scientiæ sine ex mente Aristotelis. Sed forma inducenda ab habitu practico, est finis illius intrinsecus, sicut enim sine habito res ulterius non procedit, ita forma illa quam intendit practicus habitus inducta, non procedit ulterius habitus. Ergo forma quam inducit habitus practicus, est objectum illius. Minor verò principalis scilicet nihil aliud inducitur à Logica nisi dicta rectitudo. Probatur. Tum quia Logica inducit aliquam Formam, non potest autem ostendi quam aliam inducat, nisi rectitudinem dictam. Tum quia illud est forma, quam inducit Logica, quo habito conquiescit Logica & sicut motus Physicus, ad inductionem Formæ ordinatus, dum conquiescit, signum est à posteriori, illud esse formam intentam, ita illud erit Forma Logicæ, qua habitâ, conquiescit Logica. Hæc autem forma est Rectitudo. Tum quia media ostendunt intentionem finis, media autem quibus utitur Logica, sunt præcepta, quæ omnia nihil aliud intendunt, nisi rectitudinem operationum, Ergo & Logica, quæ illis præceptis tanquam mediis agit, nihil aliud intendit, nisi rectitudinem operationum.

PROBATUR II. Conclusio. Si rectitudo Logica non esset objectum formale. Logicæ, idem non esset, quia operationes non possunt habere rectitudinem dictam à præceptis Logicis. Sed possunt habere. Ergo &c. Major est oppositorum. Minor probatur. Quæcunque ratio probat habere rectitudinem operationes intellectus ab intellectu, eadem probat posse illam non simpliciter, sed facilius haberi à dictaminibus Logicis.

RESPONDEBIS I. Ideo non possunt operationes rectitudinem habere à Logica, quia otiosa esset rectitudo, cum haberi possit ab intellectu.

CONTRA EST. Habitus dantur tantum ad facile posse. Ergo & Logica erit tantum ad facile dirigere. Dico ergo simpliciter posse haberi rectitudinem ab intellectu, sed facilius haberi illam per præcepta Logicæ; & sicut nemo dicit habitus esse otiosos, eo quod dent tantum facile posse, ita nemo dicit esse otiosam directionem Logicam.

RESPONDEBIS II. Non possunt operationes habere rectitudinem à Logica, quia non sunt indifferentes ad bonè vel malè fieri, & intellectio elicitæ, non potest emendari in meliorem,

CONTRA EST. Assumo hoc. Ergo neque ab intellectu dirigi possunt, nam etiam ab illo, non possunt mutari in meliores.

RESPONDEBIS III. Cum Patre Adriano Pikarski, cujus etiam argumenta infra ponentur. Ideo operationes non posse habere rectitudinem à Logica, quia non possunt mutari in meliores manente sua Entitate, intellectio enim vel ea futura erat, quæ jam est elicitæ hîc & nunc, vel alia, si primum, tunc sicut elicitæ non poterat mutari in meliorem, ita nec elicienda, si posterius. Ergo emendari vel dirigi intellectionem idem erit, quod pro mala, bonam substituere, nemo autem emendare dicitur vestem laceram, si pro lacera, bonam substituat.

CONTRA EST. Assumo hoc & nego ab intellectu dirigi operationes, quæram enim an ea futura erat quæ nunc est, an alia intellectio elicienda; & ex utroque inferam, non posse eam ab intellectu dirigi, solutio hujus argumenti infra patebit.

RESPONDEBIS IV. Ideo non potest dirigi operatio à Logica, quia consistit bonitas illius intrinseca in indivisibili.

CONTRA EST. Assumo quod datur. Ergo neque ab intellectu dirigi possunt, quia bonitas illorum consistit in indivisibili.

RESPONDEBIS V. Disparitatem esse, quia primum actum rectum ante omnem logicam elicit intellectus sine ullo dictamine logico. Ergo & reliquos elicere potest.

CONTRA EST I. Concedo quod reliquos actus sine Logica elicere possit, sed nego faciliè id fieri posse sine logica, in quo solo, est questio.

CONTRA EST II. Concedo primum actum aliquem rectum elicitum esse ante omnem logicam: idque idem, quia causa debet præsupponi effectui, cum ergo primus actus cum reliquis sit causa Logicæ inventæ, & in præcepta reductæ, necessariò à Logica dirigi non poterit, sed si nunc jam operationes dirigat Logica, non sequetur, effectum præsupponi, ante causam.

PROBATUR III. Conclusio urgendo Minorem eandem syllogismi secundi, quæ est talis. Si rectitudo logica non posset esse objectum formale Logicæ, idem non esset, quia rectitudinem operationes non possunt habere dependentem à præceptis Logicis. Sed possunt habere. Ergo. Si non possent habere rectitudinem dependentem à præceptis Logicis operationes, idem illam non possent habere, quia non sunt indifferentes ad illam habendam vel non habendam, sed id non obstat. Tum quia sufficit, quod in priori naturæ antequam fiant, & in suis causis spectatæ, potuerint non fieri tales, quamvis in suppositione sui ad se, seu in se à parte rei spectatæ, non possint esse jam indifferentes. Ad eum modum, quo sufficit ad libertatem actionis, in ipso fieri, quod in priori naturæ, spectata in sua

† Ec causa

causa operatio, potuerit fieri vel non fieri, quamvis spectata in se, prout est à parte rei, non possit non esse. Tum quia potest ars sagittandi dirigere ictum tactivum metæ, quamvis ictus tactivus metæ, non possit non esse illius tactivus, quia hoc ipso, non esset tactivus metæ? Tum quia in uno eodemque indivisibili instanti temporis, quo fit definitio v. g. possunt cogitari duo instantia naturæ, aliud instans prioritatis naturæ, aliud posterioritatis naturæ: censetur res in instanti prioritatis naturæ considerari, quando consideratur in ipso suo fieri; tunc autem in signo posterioritatis naturæ consideratur, quando consideratur in ipso facto esse, licet in instantaneis, qualis est v. g. Definitio idem sit fieri physicè, & factum esse. Quamvis considerabilitate differant. Pro illo ergo priori signo considerabilitatis, præcipue si fieri spectetur in ipsismet causis, est operatio indifferens ut possit bene vel malè fieri, licet in posteriori signo, sit jam determinata.

Secundum ergo considerationem physicam, si spectetur in suis causis operatio, est indifferens; secundum autem considerationem metaphysicam, est indifferens, etiam pro priori illo naturæ & in fieri spectata, partiendo unum instans physicum, in duo instantia rationis.

Punctum Difficultatis 3.

Respondetur Objectionibus.

OBJICITUR I. præ Adriano, Intellectiones non possunt esse indifferentes ad bene vel malè fieri, nec manens in sua Entitate potest mutari intellectio. Ergo neque dirigi.

RESPONDETUR. Quod intellectiones spectatæ in suis causis sint indifferentes possintque mutari, licet id illis non competat spectatis in se.

INSTABIS. Intellectio elicitæ non potest mutari & emendari. Ergo & elicienda, cum eadem sit.

RESPONDETUR. Etiam intellectiones elicitæ spectatæ in sua causa potuisse emendari, licet non sub formalitate elictarum, sed elicientiarum.

OBJICITUR II. Ab eodem si rectitudinem induceret Logica, ita induceret, quod substitueret unà cum intellectu pro operatione, quæ poterat esse mala, bonam. Sed hoc non est emendare operationem, aliàs pro lacera veste, dare bonam, esset emendare vestem.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Ad illud de veste dico, quod pro lacera veste bonam substituere, non sit emendare vestem, quia ad talem substitutionem vox emendationis non usurpatur. Licet aliæ substitutiones, gaudeat etiam soleant nomine emendationis, ut cum Magister substituit pro erronea bonam constru-

ctionem, & propositione fracta, non fractam, dicitur emendare compositionem. Sic & in præsententi. Præcipue autem hoc tenet de operationibus, quæ cum non sint materia permanens, sicut vestes, hoc ipso emendationi non subfunt, sed integrè de novo poni possunt.

OBJICITUR III. Quando dirigit Logica argumentantem, aut novit argumentans rectitudinem syllogismi, aut non novit, si novit? Ergo sufficiens est facere syllogismum si non novit, ergo etiam si illi præcipiatur talis syllogismus, poterit adhuc hære an rectus sit. Ergo per Logicam non satis dirigitur.

RESPONDETUR. Argumentantem esse sufficientem simpliciter, ut sine præceptis faciat syllogismum rectum, sed non esse sufficientem, ut id facile præstet sine præceptis Logicis, sine quibus novit remote, sed cum iis novit proximè, & de faciliiori, rectitudinem syllogismi.

OBJICITUR IV. Ab eodem hæc operatio etiam spectata in sua causa, non poterat fieri nisi hæc, si enim hæc non fuisset facta, hoc ipso non fuisset hæc.

RESPONDETUR. Hanc objectionem involvere se, quia ex una parte vult spectari operationem in causa, ex altera parte non vult spectari operationem in sua causa, quia vult spectari operationem, prout est in se, quia spectari operationem, prout est hæc, est illam spectari, prout est in se. Revolvatur mens ad instantias adlatas de libertate, tactione metæ &c. Addo, quod facere ut hæc potius quàm illa operatio, fiat, idque mediis dictaminibus, & præscribendo regulas operandi, non tantum sit determinare intellectum, ut eliciat bonam operationem, non malam, sed etiam dirigere eundem ad eum modum quo determinatio, quam facit per certas regulas ars cytharisandi, ad bonos potius quàm malos pulsus cytharæ, vocatur directio facta ab arte. *Quicquid sit de istis Principiis.* Dico operationem hanc spectatam in suis causis non posse esse nisi hanc, sed non debent sumi causæ inadæquatè, sed omnes ad esse hujus concurrentes, hinc ad operationem hanc rectam, concurrunt aut Logica sola naturalis, dans simpliciter posse operationi rectæ, aut concurrunt Logica artificialis, dans esse rectæ, sed requisita non ad posse esse simpliciter, sed ad facilius posse. Unde hæc operatio non fuisset bona, si ad illam concurrisset intellectus utcunque, & non quia habet rationem Logicæ naturalis, & si defectum concursus exhibendi à Logica naturali, non suppleret Logica artificialis; si autem alterutra concurrat, non est mirum, quod hæc operatio non potuerit esse nisi hæc bona. Quod si ad operationem v. g. hanc, quæ non potest esse nisi bona, requiritur Logica aut naturalis aut artificialis, datur adhuc directioni locus, ut ex vi directionis, bona vel mala fiat.

INSTAT. Si operationes intellectus solum in causa

causa diriguntur. Ergo potius intellectus prout operans, est objectum Logicae.

RESPONDETUR. Operationes intellectus, solum quidem in causa spectata indifferentes sunt ad bene vel male fieri, non tamen solum in causa diriguntur, sed etiam in seipsis, modo supra praetacto; imò cum dirigatur intellectus non nisi prout Definitivus, Enuntiativus, Illativus; necessarii & ipsae Definitiones, Enuntiationes, Illationes dirigi debent, & sicut cum dico: mel qua dulce dulcorat, dico dulcedinem dulcorare ut Quo; ita cum dico, intellectus, qua definitivus dirigitur, datur intelligi, quod definitiones dirigantur. Unde ulterius si queras: An in rectas an in pravas operationes inducatur hæc reductio, non pones adæquata divisionis membra, inducitur enim reductio non in rectas, nec in pravas, utraque jam factas operationes, sed in operationes, quæ sunt, cumque ipsæ operationes rectæ, habeant quidem reductiorem, sed dependentem à præceptis Logicae, hoc ipso dici debet, ex directione Logica, haberi illam reductiorem.

OBJICIT V. Item. Quo impossibili adhuc possibilis est Logica, illud est non formale Logicae. Sed impossibili dirigibilitate vel reductiōe adhuc possibilis est Logica. Ergo dirigibilitas vel reductio non est formale Logicae. Minor probatur. Impossibili communi errore intellectus possibilis est Logica. Sed impossibili omni errore intellectus, impossibilis est dirigibilitas vel reductio. Ergo impossibili dirigibilitate possibilis est Logica. Quod autem possibilis sit Logica impossibili errore, vel hoc probat, quia in intellectu Christi non erat possibilis error intellectus, & tamen Christo inerat Logica.

RESPONDETUR negando Minorem. Probat illius, (quidquid sit de forma illius expressè loquendo, de quo in Ethicis actum) adhuc habet minorem falsam. Ratio negandi, quia possunt dari aliquæ formæ, licet earum oppositæ ab illis expellendæ, sint impossibiles. Illustratur hoc Instantiis. Instantia est Theologica, possibilis est gratia impossibili peccato expellendo, possibilis in DEO scientia, in quo impossibilis est error ab illa expellendus. Ergo etiam possibilis erit Logica, impossibili omni diffinitivitate intellectus, seu errore expellendo. Instantia Metaphysica est, quod possit dari scientia, impossibili ignorantia expellenda. Instantia physica est, quod possibilis sit calor, impossibili frigore expellendo. Ergo & reductio Logica possibilis erit, impossibili omni diffinitivitate expellenda. Et Ratio est, quia per prius forma confert eam pulchritudinem & bonum, quod in se continet, quam opponatur malo posito, sufficitque ut quantum est ex se, sit illius depulsiva, licet ex accidenti aliquo non expellat illud.

INSTAT I. Impossibili uno correlativo, redditur impossibile aliud correlativum. Ergo etiam impossibili errore intellectus, impossibilis est reductio.

RESPONDETUR. Errorem intellectus & reductiōem esse sibi opposita & non correlativa, potest autem unum oppositorum, possibile esse, altero impossibili.

INSTABIS II. DEUS dirigitur intransitive, non enim dirigitur ab aliquo quod non sit ipse.

RESPONDETUR. Concesso hoc, redibit paritas, potest DEUS erroris incapax dirigi tamen, licet intransitive, & cur non possit dirigi subjectum transitive à scientia, licet sit incapax erroris.

INSTAT III. Si esset possibile subjectum capax directionis Logicae, quod sit incapax diffinitivitatis, Ergo etiam possibile erit subjectum capax erroris, quod sit incapax reductiōis. Atqui hoc falsum est. Omne enim defectibile, potest corrigi saltem à primâ causâ, & quia sequitur dari aliquam naturam ab intrinseco erroris, seu physice ac metaphysice malam, siquidem nulla vi rectificabilis esset.

RESPONDETUR. De facto in omni errore reperitur id, ut ipse qua talis, & in se non sit capax reductiōis, cumque error non per accidens, sed per essentiam sit defectibilis, non poterit corrigi à primâ causâ, quæ essentias rerum non mutat. Deinde Disparitas etiam est, quia in casu antecedentis nulla est imperfectio, quæ habetur in casu Consequentis. Et sicut quamvis sit possibilis scientia, quæ procedat per Conclusiones, demonstrativas, neque tamen possibilis est error, qui per easdem procedat, quia scientia est quid perfectum, imperfectus error, ita quamvis possit DEUS aliquid perfectum producere, non hoc ipso per se poterit producere etiam aliquid imperfectum, quod DEUM dedecet.

OBJICITUR VI. Præ Thomâ Rostoga. Si operationes intellectus essent objectum Logicae, vel essent ea, quæ jam sunt rectæ, & hæc non sunt capaces dirigibilitatis, jam enim illam habent. Non etiam hæc quæ nondum sunt, quia hæc dirigi non possunt. Non item operationes infieri, quia sunt instantaneæ, in instantaneis autem idem est fieri, quod & factum esse, sed factum esse non potest dirigi. Ergo nec fieri ipsum.

RESPONDETUR. Logica in actu primo dirigentis esse objectum operationes in actu primo dirigibiles, Logica vero in actu secundo dirigentis, esse objectum operationes in ipso fieri rectificabiles, modo jam præscripto. Axioma illud in Instantaneis idem est fieri quod & factum esse, hoc sensu solum est verum; quod scilicet totum simul producat, quod instantaneè producitur, sed non sequitur illud ita producibile in eodem instanti dirigi non posse, non autem habet hunc sensum, quasi quæ prædicata

+ Ecce 2 con-

conveniunt facto esse, debeant convenire ipsi fieri, quod si possunt diversa prædicata convenire, illi fieri, & illi facto esse, poterit dirigi operatio sub formalitate fieri, licet non dirigatur sub formalitate, facti esse.

OBJICITUR VII. Quia si tres Operationes sunt Objectum Logicæ, non salvabitur conditio objecti attributionis, quod est dare unitatem scientiæ: operationes autem non dant hanc unitatem, nam & sunt Ens per accidens, & non nomine singulari exprimuntur.

RESPONDETUR etiam posito, quod operationes sint Ens per accidens, & quod nomine plurali exprimantur ad dandam unitatem scientiæ, sufficit quod conveniant in una ratione scibilitatis, qualis hic est rectificabilitas operationum scientifica, in quantum illa habet rationem objecti attributionis.

INSTABIS. Saltem non possent prædicari de speciebus objecti operationes, nam de syllogismo non potest dici, quod sint operationes rectæ, & tamen objectum attributionis debet prædicari de speciebus objecti.

RESPONDETUR. Sufficere quod objectum attributionis, vel in numero plurali vel singulari prædicari possit de speciebus objecti potest autem dici, quod syllogismus sit operatio recta.

DIFFICULTAS III.

Respondetur quibusdam questionibus de Objecto Logicæ.

QUÆRES I. *Qualiter nam sumpta Rectitudo sit objectum formale Logicæ.* Sumi debet rectitudo in fieri. Ratio, tum quia Logica est habitus practicus, habitus autem practici objectum debet esse factibile vel dirigibile, ut in simili vult Aristot. 6. Eth. c. 2. Tum quia illa & taliter sumpta rectitudo est objectum formale Logicæ, quæ est radix & origo totius amplitudinis Logicæ. Jam autem rectitudo operationum in fieri est talis radix, & origo: Sicut libertas in actu, est, in qua apparet amplitudo libertatis. Et certe sublata rectitudine in fieri, non esset jam ulla rectitudo præterita, præteritum enim sumit ratio præteriti, a præteriti, quod fuit, sublata item rectitudine in fieri, nulla esset rectitudo futura, futurum enim dicitur ratione præsentis ponendi. Ergo rectitudo in fieri, est radix & origo amplitudinis totius, debitæ considerabilitati Logicæ. Tum quia per solam rectitudinem in fieri, salvatur ratio practici in Logica, imò quantumvis nunquam se reflecteret Logica, supra operationes jam factas, posset bene uti præceptis apprehendendi, enuntiandi, argumentandi, consideratque Logica operationes jam factas, sed non nisi propter operationes in fieri.

DICES I. Operationes rectæ, prout abstractunt ab omni tempore, sunt quid universalius,

sunt per modum generis, operationes autem in fieri, sunt, quasi species illius rectitudinis. Ergo illa potius abstracta rectitudo est objectum Logicæ, non enim genus debet revocari ad species, sed species ad genus.

RESPONDETUR. Negando in ratione scibilis Logicæ; hoc est practice, operationes abstractas habere se per modum generis nam habitus practici objectum, assignatur agibile, non abstrahens ab agibili quamvis in aliqua alia consideratione, possit sortiri rationem generis operatio recta.

DICES II. Rectitudo operationum in ultimo instanti ante fieri, vel est objectum Logicæ, vel non est, si non est, Ergo Logica habitualiter sumpta non habet objectum, si est. Ergo Rectitudo est objectum non in fieri, sed ante fieri accepta.

RESPONDETUR. Operationes ante fieri præcedentes immediate, esse objectum Logicæ, immediate post operaturæ; & sicut dum operatur Logica, habet operationes in fieri pro objecto; ita proxime operaturæ, habet operationes pro objecto in proximo fieri, adeoque utrobique operationes in fieri erunt objectum, sed aliter & aliter sumptæ. Per hoc tamen non negatur, quod operationes rectæ jam in facto esse, sint objectum experimentalis scientiæ; licet operationes rectæ in fieri sint finis intrinsecus, adeoque objectum Logicæ formale.

DICES III. Operationes rectæ in fieri ordinantur ad rectas. Ergo rectæ, sunt objectum attributionis.

RESPONDETUR. Ordinari operationes rectas in fieri ad simpliciter rectas, non tanquam ad objectum scibile per se, licet ordinentur tanquam ad aliquid se posterius & effectum.

QUÆRES II. *Quo præstet nomine hanc rationem formalem exprimere.*

ASSERO I. Non bene illam exprimi sub nomine operationum rectarum. Ratio, quia ceteris paribus, si nihil obstat, præstat sub eo nomine assignare objectum habitus practici, quod nomen ex modo significandi, magis exprimat tempus futurum, quam præteritum. Nam & Aristoteles factibile & agibile, non verò factum aut actum assignat pro objecto practico habitui. Et si scientiæ, quæ etiam circa scita actibus reflexis versantur, tamen non scitum sed scibile habent pro objecto, ita & nomine, significante rectitudinem futuram quodammodo, exprimi debet objectum Logicæ.

ASSERO II. Non bene illam exprimi sub nomine Operationum dirigibilium.

RATIO, quia dirigibilitas ex modo significandi, exprimit conditionem tenentem se ex parte operationum, earumque tractabilitatem, & ad præcepta Logica inflexibilitatem designat, ad eum modum, quo sciffibilitas ligni, est conditio tenens se ex parte ligni, dicitque ejus aptitudinem

tudinem ad scindī. Deinde ratio formalis ob-
jecti Logicae debet significare illud, quod indu-
cit Logica in operationes, non inducit autem
dirigibilitatem, quia cum hæc sit aptitudo ad di-
rigi, præsupponitur in ante, sed potius dirigibi-
litas, est ratio sub Qua huius scientiæ.

ASSERO III. *Commodè exprimi Rationem
formalem obiecti Logicae, per L^y Rectificabilitas, ita
ut operationes rectificabiles, sint obiectum Lo-
gicae.*

RATIO, quia operationes in fieri sunt ob-
iectum Logicae. Sed operationes rectificabi-
les sunt operationes in fieri. Ergo &c.

QUÆRES III. *An operatio aliqua in communi
abstrahens à prima, secunda & tertia sit Obiectum
Logicae.*

ASSERO, quod non.

RATIO. Tum quia, si nihil obstat, assignan-
dum est obiectum habitus practici, circa quod
& executive & præceptive versetur Logica. Sed
operationes tres sunt tales, nam executive circa
singularia, versabitur, & præceptive, circa tres
illas operationes, sed circa unamquamque in
communi acceptam. Tum quia si nihil obstat
potius est assignandum obiectum Logicae tale,
quod ex modo suæ significationis, ostendat Lo-
gicam non esse speculativam, quod non habere-
tur, si operatio in communi, assignetur pro
objecto Logicae. Tum quia in assignando ob-
iecto Logicae concordanda sunt duo, quod Lo-
gica sit practica, & quod sit scientia: utrumque
hoc concordatur, nam ut salvetur ratio scientiæ,
& unitatis scientiæ, assumitur ratio communis,
jam autem quælibet illarum in suo genere est
una, hoc est, tres operationes. Ostenditur et-
iam ratio practici, particularius ipsas operatio-
nes assignando pro objecto. Quod autem debe-
ant operationes secundum rationem commu-
nem spectari, Ratio est. Quia obiectum unius-
cujusque scientiæ, non debet esse simpliciter quid
aggregatum, sed debet uniri in ratione aliqua
una. Unde & Aristot. 1. posteriorum tex. 43.
unam scientiam dicit esse, quæ est circa unum
genus.

QUÆRES IV. *An intellectus ut dirigibilis
Logice in operando, sit obiectum Logicae.*

ASSERO. *Intellectum esse obiectum Logicae, sed
non esse obiectum Attributionis.* Quod sit ob-
iectum. Ratio est, quia causæ obiecti, sunt etiam
objectum scientiæ, revocanturque ad obiectum
attributionis. Quod autem non sit ita sumptus
intellectus obiectum attributionis. Ratio est.
Quia intellectus in tantum esset obiectum Lo-
gicae, prout esset dirigibilis in operando, hoc au-
tem significat, ipsas operationes esse hoc ob-
iectum, ut in simili supra dictum. Deinde ob-
iectum Logicae tanquam habitus practici, debet
esse agibile à logica. Intellectus autem non est
agibilis à logica. Denique etiam in aliis habi-
tus, principium effectivum specierum obiecti,

non est obiectum proximum habitus, sic non est
objectum cytharandi cythara, sed pulsus aut
sonus artificiosus, obiectum futuriæ non est ma-
nus sed calceus, nec saltatoriæ pes, sed saltus.
Quod ulterius in hoc fundatur, quia non est ne-
cesse confundere causam obiecti, cum ob-
iecto.

DICES I. Logica dirigit Operationes intel-
lectus in ordine ad perfectionem intellectus. Er-
gò intellectus erit obiectum primum.

RESPONDETUR. Quod dirigat illas ad
perfectionem intellectus non merè subjectivam
& receptivam illarum operationum, sed ad per-
fectionem intellectus, prout operativi, quod o-
stendit potius operationes esse hoc obiectum.

DICES II. Obiectum habitus practici non
debet esse operativum, sed operabile, jam au-
tem intellectus, est potius operativus.

RESPONDETUR. Quod operativum pos-
sit esse in scientia practica, obiectum attribum-
tum, licet non attributionis.

DICES III. Subjectum habitus non est ob-
iectum habitus, intellectus autem est subjectum
habitus logici. Ergo non est obiectum il-
lius.

RESPONDETUR. Subjectum habitus,
quod est simul tanquam causa obiecti confide-
rabilis, potest esse obiectum habitus, considera-
tio enim, causarum obiecti, spectat ad scientiam,
licet subjectum habitus, acceptum merè pro re-
ceptivo habitus, non sit obiectum habitus.

QUÆRES V. *Quodnam tandem sit obiectum
Attributionis adequatum Logicae.*

ASSERO esse *Operationes intellectus rectifi-
cabiles*, seu ut vulgò dicitur dirigibiles. Ratio
asserti petenda ex dictis hactenus.

QVÆSTIO III.

De iis quæ non sunt definitiva Logicae.

SUB hoc titulo agemus de iis, quæ non sunt
objectum Logicae, sit

DIFFICULTAS I.

*An Ens rationis sit obiectum
Logicae.*

PRÆMITTO I. *Ens rationis, quantum ad præ-
sens, duplex cogitari potest.* Primum Ens ra-
tionis, quod habet tantum esse obiectivum in
intellectu, v. g. Hircocervus; secundum Ens
rationis Logicum, estque aliquid sortiens deno-
minationem extrinsecam à Logica, seu secunda
nostra intentio.

PRÆMITTO II. *Quid sit intentio? Quid
secunda intentio, Quid Denominatio?* Intentio
alia spectat ad voluntatem, alia ad intellectum.
Intentio spectans ad voluntatem est Ordo, Mo-
tus, Progressus, Tendentia voluntatis in ob-
iectum.

† Ecce

jectum.

jectum. Et proportionaliter, Intentio spectans ad intellectum est tendentia intellectualis. Porro sicut in motu quod movetur, habet finem sui motus, seu terminum & rationem formalem movendi, ita etiam in intellectu, cuius motus sunt cognitiones, sunt aliquæ Intentiones formales, quæ sunt ipse actus tendens in objectum, vocaturq; hic actus: Intentio formalis, & præter hoc, est terminus istius motus, qui terminus vocatur Intentio objectiva, nihilq; aliud est, nisi ipsum illud, quod cognoscitur.

Rursus Intentio tam formalis quam objectiva, Alia est Intentio prima, alia Intentio secunda. Intentio prima formalis est cognitio cognoscens objectum, directè, secundum prædicata, quæ in se habet. Prima autem Intentio objectiva, est ipsum illud objectum. Deinde verò Intentio secunda formalis, est cognitio objecti ab intellectu sortiens aliquam denominationem. Intentio verò secunda objectiva, est ipsum illud objectum sortiens ab intellectu illam denominationem, vocaturq; hæc Intentio secunda, quia sicut id quod secundum est, supponitur alteri se priori, estq; geminatio, unitatis, ita secunda intentio præsupponit primam, prius enim est esse v. g. hominem, postea posse prædicari.

Quod ad denominationem attinet, illa est forma nominis cuiuspiam inditi. Sic denominatur pannus ruber, qui obtinet nomen à rubedine, quæ est forma rubri. Hæ denominationes aliæ sunt Extrinsecæ, aliæ Intrinsecæ: Intrinsecæ proveniunt à forma denominato unita. Sic v. g. denominatur ruber pileus à rubedine unita pileo. Denominatio autem extrinsecæ, est appellatio proveniens à forma extrinsecæ, referibili tamen ad denominatum. Sic v. g. visum denominatum à visione, quæ est in vidente, quæ nihilominus visio, refertur ad visum, tanquam ad objectum. Ulterius, denominationes extrinsecæ aliæ sunt Logicæ, aliæ non Logicæ. Denominationes non Logicæ sunt, quæ proficiscuntur, aut ab aliis potentiis, quam ab intellectu, aut ab intellectu, sed præscindente à præceptis Logicis v. g. simpliciter cognitum; Logicæ autem Denominationes extrinsecæ, sunt actus intellectus, importantes ordinem ad præcepta Logicæ.

PRÆMITTO III. *Quæ sint placita asserentium, Ens Rationis Logicum esse objectum Logicæ.*

DOCENT I. Objectum sortiri denominationem extrinsecam ab intellectu v. g. prædicati, subiecti, Definitionis, hocque dicunt esse Ens rationis.

DOCENT II. Ipsum istud Ens rationis, rectitudinem suam habere, si sit conforme rebus, ita ut prædicatum sit superius, subiectum autem inferius.

DOCENT III. Ista Entia Rationis, in tantum spectare ad Logicam, in quantum sunt directiva Operationum intellectus. Dirigunt autem istas operationes, inprimis ut refert Ami-

cus tract. 1. Logicæ quæst. 5. d. 3. c. 4. per modum ideæ & objectivæ, quia scilicet ut rectè definiamus, debemus nobis proponere definitionem, quæ est Ens rationis Logicum, ut videamus quid in illo, pro genere, quid pro differentia, sumatur, ut definitionem formando, accomodemus nos illi Ideæ. Deinde Ens rationis Logicum dirigit operationes à posteriori, per modum signi, ut vult Vallius p. 2. prolog. 93. c. 2. eò quod sequatur ad operationes, quas facimus, easq; vel rectas, vel non rectas. Sic v. g. quando in communi apprehenditur hic terminus Homo, si in hac apprehensione sequitur & confurgit Ens rationis Logicum, quod est species, signum est rectam fuisse apprehensionem; si verò sequatur ut illius apprehensionis, Ens rationis Logicum; quod est genus; Sequitur illam apprehensionem fuisse malam, nam Ens rationis malum est secutum.

DICENDUM EST I. *Ens rationis Chimæricum non esse objectum Logicæ.*

PROBATUR. Quia illud potius ad Metaphysicam spectat, quæ sicut Ens reale considerat; ita & oppositum illi Ens fictum, considerare debet, & quæ rationes probant operationes intellectus esse objectum Logicæ; eadè evincunt, quod Ens chimæricum non sit tale objectum.

DICENDUM EST II. *Ens rationis Logicum, tam illud directivum, quam illud per modum signi acceptum, non esse objectum Logicæ.*

Quoad primam Partem.

PROBARI POTEST CONCLUSIO I. Illa Idea quæ dirigeret operationes, non dirigeret primam operationem. Ergo & reliquas. Antecedens probatur. Hoc ipso enim illa non esset prima, cum supponeret aliam priorem se, quæ illi esset, per modum Ideæ.

RESPONDERI POSSIT huic argumento. Retorquendo illud, quod primus actus Logicæ non posset fieri à Logica artificiali. Ergo & reliqui non dirigerentur à Logica artificiali.

PROBARI II. POSSET. Illa ipsa Idea non habet rectitudinem ab alia idea, alias iretur in infinitum. Ergo hæ ideæ non sunt tale objectum.

RESPONDETUR. Sicut primus actus Logicæ potest habere rectitudinem non à Logica artificiali, sed à naturali, nec erit necesse in hoc ponere processum in infinitum. Ita & in præsentia. *Hinc aliter*

PROBATUR III. CONCLUSIO. Quia non experimur nos necessariò & semper istas Ideas inspicere. Et deinde, quia sufficiens est intellectus independenter ab istis Ideis unà cum Logica, facere istam rectitudinem. Ergo est superflua inspectio illarum Idearum tanquam objecti. Et si reliqui habitus Practici ideas tales non habent pro objecto, sed potius opera, ita & in præsentia.

Quod verò Entia Rationis per modum signi accepta non sint objectum.

PROBATUR. Entia rationis directiva per modum

modum signi habent rectitudinem ab operationibus rectis, vel pravitatem à pravis: illud quippe Ens rationis est rectum, quod consequitur ad operationem rectam, illud verò Ens rationis est pravum, quod ad operationem pravam consequitur. Ergò non operationes ab Entibus rationis Logicis, sed Logica Entia rationis, ab illis operationibus, debent habere rectitudinem.

Deinde pro illo priori, quo illud signum anteceditur operationes, competit illis rectitudo. Ergò illa non rectè desumetur à dictis signis.

DICENDUM EST III. *Ens rationis Logicum si ad mentem S. Thomæ sumatur, est objectum Logica.* Supponit Conclusio quod nomine Entis rationis venire possint etiam ea, quæ efficiuntur ab intellectu immanenter, & sic operationes & conceptus nostri erunt entia rationis. Hoc supposito.

Probatur Conclusio. Operationes intellectus rectificabiles, sunt objectum Logicae. Sed istæ ad mentem S. Thomæ sunt Ens rationis, ut videre est 1. 2. q. 90. art. 1. ad 2. Et primo postea. lect. 1. dicit Logicam esse de operationibus Rationis, seu Intentionibus rationis. Et in primum dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 3. *Ens rationis*, inquit, *seu Ratio dupliciter sumitur, quandoque enim Ratio est ratio- cinante scilicet ipse actus rationis, vel potentia, qua est ratio, quandoque ratio est nomen Intentionis, sive secundum quod significat definitionem rei, prout Ratio est Definitio, sive prout Ratio dicitur Argumentatio.* Item S. Th. apud Sanchez. citatus 9. proœmiali 1. 7. titulo Decisio quæstionis expressè ait: *Quemadmodum ratio artem fabrilem invenit, ut actus, qui per manum exercentur, secundum rationem dirigantur, eodem pacto ratio ipsa invenit artem Logicam, qua directiva esset ipsius rationis actuum, per quam homo in actibus Rationis ordinatè, & faciliter & sine errore procederet.* Hinc quando 4. Metaph. lect. 4. & opusculo de natura Generis c. 4. assignat pro objecto Ens rationis Logicum, hoc ipso intelligere est, quod operationes intellectus, cum illæ cum Entibus rationis Logicis apud illum sint idem. Caterum sub nomine Entis Rationis Logici etiam ad mentem S. Thomæ sumpti, non debet statui objectum Logicae. Ratio, quia hoc nomen est equivocum.

OBJICITUR I. ab Auctoritate.

I. AUCTORITAS EST Arist. 4. Metaph. tex. 4. Ubi ait Dialecticam & Metaphysicam tractare de omni Ente. Atqui Dialectica non tractat de omni Ente reali. Ergò de Ente Rationis.

RESPONDETUR. Sicut dum Metaphysica tractat de omni Ente, non debet intelligi non nisi Ens Rationis, hoc ipso enim non tractaret de omni Ente, ita nec Dialectica equiparata ab Aristotele Metaphysicæ, de eodem tractabit. Dicit etiam potest quod tractet Dialectica de omni Ente reali, præscribendo regulas illud attingendi.

II. AUCTORITAS EST S. Thomæ, sed ea explicari debet secundum Conclusionem tertiam.

III. AUCTORITAS axioma commune. Quod contrariorum sit eadem disciplina.

RESPONDETUR. Argumentum multum probate, quia probaret Physicam de Coelis etiam fictis discurre. Deinde quamvis contrariorum eadem sit disciplina, sequetur quidem, quod contraria ad idem objectum attributionis revocentur, non autem quod sint ipsum objectum attributionis.

OBJICITUR II. Definitio est ordo Generis ad differentiam, ejusque rectificabilitas in hoc ordine stat, hic autem ordo est Ens rationis, & sic de reliquis. Ergò Ens Rationis erit objectum.

RESPONDETUR. Dirigibilitatem ex modo nostro concipiendi esse ordinem quandam, sed non in re. Dirigibilitas autem in re, est ipsa operatio intellectus, conformis præceptis.

OBJICITUR III. Logica considerat Prædicamenta & prædicabilia. Et prædicamenta, secundum quod considerantur à Logica, non sunt Entia realia, aliàs considerarentur sub eadem ratione, sub qua considerantur à Metaphysica. Ergò considerantur à Logica prædicamenta, ut sunt Entia rationis. Prædicabilia etiam sunt entia rationis, ergò Logica considerat entia rationis.

RESPONDETUR. Prædicabilia esse Universalia, adeoque non Entia Rationis. Et licet Logica consideret prædicamenta, secundum quod sunt entia realia, differret à Metaphysica, quia considerabit ea, secundum quod sub sunt Definibilitati, Divisibilitati &c.

OBJICITUR IV. Logica accipit speciem ab ente Rationis, unde & vocatur Rationalis scientia.

RESPONDETUR. Sicut voces non sunt objectum Logicae, licet à vocibus Logica denominetur Logica; ita, quamvis Logica sit scientia rationalis, non erit necesse ut pro objecto dicat entia rationis. Præcipue cum etiam denominetur rationalis scientia Logica à Ratione, hoc est, Operationibus intellectus, non ab entibus Rationis Logicis.

OBJICITUR V. Si Logica tractans de Definitione, Divisione &c. tractaret de ente reali. Definitio & Divisio, vel esset Substantia vel Quantitas, vel Qualitas.

RESPONDETUR. Esse Qualitatem.

INSTABIS. I. Ergò non distinguetur Logica à scientiis realibus.

RESPONDETUR. In quantum conceptus mentis, non sint quid fictum, in tantum possunt dici res, & hoc sensu erit etiam Logica realis; licet sit rationalis, in quantum Ratio sumitur pro Intentione.

INSTABIS II. Si objectum Logicae est quid reale, vel abstrahit ab omni materia, vel non, si abstrahit, Ergò est Metaphysica; si non abstrahit, Ergò coincidit cum Physica.

† Ec 4

RE-

RESPONDETUR. Quamvis abstraheret ab omni materia, non esset Metaphysica, quia scientiæ, ut probavi ante, non per abstractionem specificantur, quæ verò abstractio competat Logicæ, superius habetur.

INSTABIS III. Si objectum Logicæ est quid reale, sequitur illam nobiliorem esse Mathematicâ & Ethicâ. Mathematicâ quidem, quia nobilior est quantitate, operatio intellectus: Erit etiam præ Ethicâ nobilior, quia nobiliores sunt actus intellectus, actibus voluntatis.

RESPONDETUR. Diverſo respectu nobiliorem esse præ his Logicam. Vincitur tamen à Mathematica in hoc; quia illa non nisi demonstrativè procedit. Ab Ethicâ etiam vincitur, quia præstantius est habere & rectitudinem naturæ, & rectitudinem artis, & rectitudinem moralem, quæ rectitudines competunt actui Ethico; Actui verò Logico, competit rectitudo, non nisi naturæ & artis.

OBJICITUR VI. Definitio & Divisio, scripta, vel vocalis, spectat ad Logicam, non spectaret autem, si Ens rationis non esset objectum, quid enim commune esset scripto, voci, &c. cum operatione intellectus.

RESPONDETUR. Revocari hæc tanquam signa manifestativa conceptuum.

DIFFICULTAS II.

An Voces sint Objectum Logicæ.

PRÆMITTO I. *Nomine Vocum venire posse vel voces Internas, vel Externas.* Vox interna est: Verbum mentis & locutio, per quam manifestat sibi ipsi intellectus objectum: ut fufius in Animastica, & aliquid DEO volente innuetur in materia de Universalibus. Vox autem externa est sermo, qui conceptus nostros internos manifestare natus est alicui.

Nominales censentur voces internas pro objecto Logicæ statuisse. Nam Oeccham Princeps nominalium conceptus mentis dicit esse objectum Logicæ. Voces autem externas, censentur pro objecto statuisse, Aureolus & Aphrodisæus;

PRÆMITTO II. *Voces externas quæ sint sonus articulatus, spectare ad Animasticam,* in quantum tractat de sensibus. Quæ verò sunt certo modo pronuntiabiles, construibiles, spectant ad Grammaticam: quæ faciunt ornatam locutionem, ad Rhetoricam, quæ possunt habere numerum & concentum, spectant ad Musicam & Poeticam, quæ sunt Entia, ad Metaphysicam, quæ sunt quid corporeum, spectant ad Physicam.

PRÆMITTO III. *Restare ut queratur, an voces manifestativa conceptuum spectent ad Logicam.*

DICENDUM EST. *Voces non esse objectum Attributionis Logicæ per se & adequatum.*

PROBARI SOLET I. Sublatis & impossibilibus vocibus, potest esse Logica, nam sublati vocibus, potest fieri apprehensio, enuntiatio, syl-

logisatio. Ergò non sunt per se objectum Logicæ. Objectum enim per se & Attributionis Logicæ, est tale, ut illo sublato, tolli debeat Logica.

PROBARI SOLET II. *Passiones quas demonstrat Logica de suo objecto, non conveniunt per se vocibus, nam generare scientiam, est proprietas objecti Logici, & non est proprietas vocum.* Veritas item & falsitas non est propriè in vocibus, unde & mendacium non est contra vocem, sed contra mentem: quod si definitiones primò & per se convenientes objecto Logicæ, non demonstrantur de vocibus, jam voces non sunt per se objectum, nam de eo, quod est per se objectum, per se debent demonstrari passionibus.

CONFIRMATUR. Quia multa sunt considerationis Logicæ, quæ non sunt voces, ut operationes internæ Logicæ. Deinde Logica naturalis potest esse sine vocibus, ut in mutis, qui urique discursus naturales faciunt. Ergò & Logica artificialis, nam Logica artificialis & naturalis, habent se, sicut Perfectum & Imperfectum, porro perfecti idem est objectum, quod & Imperfecti ut v. g. Oratoris perfecti objectum est Oratio, ita etiam imperfecti objectum est Oratio. Quod si imperfecti habitus, hoc est naturalis, objectum non sunt voces, nec etiam erunt objectum perfecti habitus, hoc est, artificialis Logicæ.

PROBATUR III. *Conclusio.* Datur actus aliquis Logicæ, qui non habet pro objecto voces. Ergò &c. Antecedens probatur. Primus actus Logicus, antequam exprimitur vocibus, est verè Logicus, & tamen non habet pro objecto voces. Quod actus Logicus antequam vocibus exprimitur, sit verè Logicus. Probo. Antequam exprimitur actus Logicus, illa vox expressiva actus Logici, vel est expressiva actus Logici, vel actus non Logici; non potest dici quod sit expressiva actus non Logici, quia ejus actus est expressiva, antequam eum exprimat, quem postea de facto exprimit: sed exprimit logicum. Ergò de facto antequam exprimat, ille actus est logicus. Quod verò actus logicus antequam vocibus exprimitur, non habeat pro objecto voces. Probatur. Illud est objectum primi actus Logici, v. g. hujus Definitionis: Homo est animal rationale, circa quod versatur ille actus. Sed non versatur circa voces, objectum enim istius Definitionis est essentia hominis: Quod si actuum Logicæ objectum non sunt voces, nec habitus Logici objectum erunt voces. Idem enim debet esse objectum habitus quod & actuum.

NON NEGOTAMEN pertinere voces ad objectum Logicæ reductivè, quia nulla ars v. g. docet medium terminum in prima Figura subijci debere in Majori.

Unde logica ordinando conceptus internos ordinat simul voces illorum conceptuum expressivas

pressivas; non spectant tamen illæ voces ad objectum Logicæ, nisi per accidens, quia impossibilibus illis ut dixi, posset adhuc Logica esse in se, ut ante integra.

OBJICITUR I. Si quis immemor definitionis mentalis, eliciat cognitionem definitionis vocalis, qua dicat: Definitio vocalis est Oratio vocalis, vocaliter manifestans naturam rei per genus & differentiam: hæc cognitio habet pro objecto voces, nec potest pertinere ad aliam scientiam, nisi ad Logicam. Ergo Logica pro objecto habet voces.

RESPONDETUR aliqui apud Arriagam non omnes cognitiones, quæ dantur, debent esse cognitiones, quæ habeant propriam scientiam. Vide illum disp. 2. Sec. 3. num. 21.

RESPONDETUR. aliter distinguendo subsumptum. Sed hæc cognitio non potest ad aliam scientiam pertinere nisi ad Logicam saltem reductivè, Concedo. per se & primario Nego. Distinctoq; Consequenti, nego Consequentiam.

OBJICITUR II. Quidquid considerat Logica, est aut Terminus, aut Propositio, aut Syllogismus. Hæc omnia sunt voces. Unde Terminus definitur: esse vox terminans propositionem. Propositio est Oratio verum aut falsum enuntians. Ergo voces sunt objectum Logicæ.

RESPONDERI SOLET I. Distinguendo. Hæc omnia sunt voces propriè, & rigorosè. Nego. Figuratè concedo. Assumuntur enim voces ad significandos conceptus internos, & eorum ordinationem; adeum modum, quo signum pictum in Sphæra, vocatur Gemini Cancer, Leo, quantumvis hæc signa in Cælo sint, & in ejus zodiaco.

RESPONDETUR II. Hæc omnia esse voces internas, quæ voces internæ idem sunt cum operationibus intellectus nostri. Hinc & Logica vocatur sermocinalis scientia, à nomine Græco Logos, quod significat verbum internum.

OBJICITUR III. Habitus Progymnasticus seu Præexercitatorius debet versari circa materiam fictam consimilem veræ. Ita habitus gladiatorii præexercitatorii objectum sunt gladii lignei, cum postea ipsa gladiatoria, utatur ferro. Sed Logica est habitus Præexercitatorius. Ergo objectum illius debet esse aliquid fictum, non commodius quam voces externæ; nam hæc consimilitudinem habent cum internis vocibus seu conceptibus. Ergo voces externæ, sunt objectum.

RESPONDETUR. Logicam impropiè esse habitum præexercitatorium. Nam habitus propriè præexercitatorius, essentialiter habet idem objectum, cum eo habitu, ad quem præexercitatur; essentialiter autem aliud est objectum Logicæ ab aliis scientiis. Est tamen Logica habitus progymnasticus impropiè, quia scilicet ad perfectius acquirendas scientias, præsupponitur.

OBJICITUR IV. Ethica, & instrumentum ejus Prudentia, non solum dirigit actiones in-

ternas, sed etiam externas. Ergo & Logica non solum dirigit voces internas sed etiam externas.

RESPONDETUR. Nec Ethica primo & per se dirigit actiones externas, sed tantum reductivè spectant ad Ethicam actiones externæ: sicut & voces ad Logicam.

INSTABIS I. Voces si non considerantur per se, nec reductivè spectabunt jam ad Logicam, quod probatur. Ad Grammaticam tanquam ad instrumentum generale omnium scientiarum spectat directio vocum.

RESPONDETUR. Directio Grammatica spectat ad Grammaticam, non verò Logicam.

INSTABIS II. Nulla directio vocum est Logica, quia constructio vocum externa correspondens interiori conceptuum coordinationi, spectat ad solam Grammaticam.

RESPONDETUR. Coordinationem prædictam vocum externarum prout secundum leges Grammaticæ fiunt, spectare ad Grammaticam; non verò prout secundum leges Logicas, quæ enim rogo æquivalens est regula in syntaxi, huic: Prima prius subjicit, ad quam solam spectat dicere, subjectum substantivum concordat cum adjectivo prædicato, in Genere, Numero & Casu. Et sicut bona coordinatio vocum, prout connotat numerum & pedes, propriè est ex legibus Poeticæ; ita coordinatio vocum, prout secundum leges Grammaticas spectat ad Grammaticam, prout verò fit secundum leges Logicas, spectabit ad Logicam. Ita sphaera, prout fit secundum leges architectonicæ spectat ad Architectonicam, prout verò repræsentat sydera, spectat ad Mathematicam. Unde & voces secundum constructionem Grammaticam ad Grammaticam spectabunt, prout verò secundum leges Logicas fiunt, pertinebunt ad Logicam.

INSTABIS III. Si aliquomodo spectat ad Logicam vocum coordinatio, surdus & mutus esset imperfectus Logicus, nam hanc notitiam vocum non habet, per quam aliquem actum Logicum exercere possit.

RESPONDETUR. Cum perfectio sit spectanda non secundum ea, quæ accidunt. Diximusque supra, per accidens spectare ad Logicam directionem vocum, benè salvabitur perfectio Logicæ sine vocibus: & sicut esse capronatum, non est imperfectio hominis, quia esse capronatum accidit illi, ita nec erit imperfectus logicus mutus, quia per Accidens spectant voces ad Logicam.

OBJICITUR V. Omne manifestativum ignoti ex noto, est modus sciendi. Voces sunt manifestativæ. Ergo sunt modus sciendi: Modus sciendi est objectum Logicæ. Ergo & voces.

RESPONDERI SOLET I. Falsa est Major, nam frons & vultus manifestant ignotum, nec tamen sunt modus sciendi, saltem non sunt sciendi modus, pertinens ad Logicam.

RESPONDERI. SOLET II. Per accidens voces esse manifestativas ignoti, quia scilicet conceptus

ceptus nostros non in illismet ipsis manifestamus aliis, ut faciunt Angeli, & beati, sine corpore in caelo existentes.

RESPONDETUR III. Transito toto argumento. Nego subsumpti Antecedens. Nego enim omnem modum sciendi, esse objectum per se Logicæ.

Noto. Non posse cognosci cognitionem vocum, quin cognoscantur voces, quia cognitio vocum est representatio vocum, si est representatio vocum, necessario voces cognosci debent, tanquam representatum, tanquam terminus, ad quem dicit ordinem essentialem, representatio. Sed nego illas hoc ipso fore objectum immediatum, & per se, ad eum planè modum, quo definitio cœli spectat ad Logicam, consequenter, necessario tunc cœli cognoscuntur, cœli tamen, non nisi remotè, sunt objectum Logicæ.

DIFFICULTAS III.

An res sint Objectum Logicæ.

DICENDUM EST. *Res non esse objectum Logicæ proximum & immediatum, esse tamen remotum.* Ita Arriaga, Oviedo & ceteri Est contra Jandunum.

Quod non sint Objectum immediatum.

PROBATUR I. Si Logicæ objectum immediatum essent Res, essent objectum ut cognitæ. Sed ut cognitæ non sunt objectum immediatum. Ergo &c. Major constat confessione adversariorum, & probatur. Quia habitus cognoscitivi objectum, debent esse res ut cognitæ, sicut objecti visivæ potentia, sunt res ut visibiles. Sed Logica est habitus cognoscitivus. Ergo objectum illius debent esse res ut cognitæ. Minor principalis probatur. Quia immediatum objectum Logicæ ut dictum supra, sunt operationes, intellectus, Res autem non nisi in tantum, in quantum præsentantur ab illis operationibus. Ergo non sunt immediatum objectum. Objectum enim immediatum, non est quod attingitur ratione alterius. Res autem attinguntur à Logica ratione operationum.

PROBATUR II. Quia circa illud practicè versatur & immediatè Logica, in quod immediatè inducit rectitudinem suam, sed immediatè inducit rectitudinem suam, in operationes intellectus, non in Res. Ergo &c. Minor probatur. Inintelligibile enim est, quomodo res dirigantur immediatè.

PROBATUR III. Logica est habitus reflexivus, si est habitus reflexivus, jam immediatum ejus objectum non erunt res, non enim in res, sed in nostras operationes fit reflexio.

Quod verò sint objectum remotum. Hoc inde, Probo. Quia impossibile est cognitionem attingi ab aliqua scientia, & ulterius illa mediante, objectum cognitionis illius non attingi. Ergo cum cognitiones nostræ attingan-

tur à Logica, illis mediantibus attinguntur & ipsæ res cognitæ.

ADDO tamen res quidem cognitæ esse objectum Logicæ remotum, sed non illas tantum, quia Logica considerat remotè etiam modos, & formalitates rerum, item Entia rationis, quæ non sunt res.

ADDO item. Res esse quidem remotum de facto objectum Logicæ, quia de facto cognitiones ejus, sunt de rebus; sed non sunt necessariò de rebus, quia possunt operationes Logicæ versari circa cognitiones nostras. Hinc & Aristoteles ut ostenderet non necessariò versari circa res Logicam, syllogismorum exempla, aut in falsis materiis, aut in alphabeto ostendit.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis qui 4. Metaph. tex. 35. docet Dialecticam de omni re, seu Ente agere. Ergo res sunt objectum Logicæ.

RESPONDETUR. Me non negare res esse objectum Logicæ, sed tantum nego illud esse immediatum.

OBJICITUR II. Auctoritas D. Thomæ & doctrina communis Theologorum. Ex visione DEI, & ipso viso DEO, constat unus finis totalis. Ergo etiam ex cognitionibus, & rebus cognitis, constabit unus finis Logicæ, finis verò Logicæ est objectum Logicæ. Ergo objectum Logicæ, sunt res & cognitiones.

RESPONDETUR. Ex illo Antecedenti si valeret universaliter Consequentia multa absurda sequerentur. Sequeretur enim de asino cognitionem in Physica, & asinum esse finem Physicæ, sicut cognitio de DEO, & DEUS est finis nostræ. Disparitas ita in forma assignari posset, quia scilicet si DEUS non esset finis ultimus, nullus ipso beatitudo non esset finis ultimus, nullus enim ut demonstrant Ethici, est finis ultimus, nisi DEUS. Falsum autem est nisi res sint finis Logicæ, Logicam finem suum non habituram. Deinde aliud est querere: An cognitionis representantis DEUM, intrinsecus finis, sit DEUS, & indubie est, dicit enim Visio DEI essentialem ordinem ad DEUM, ex qua proportionem, finis etiam intrinsecus, seu dic si placet terminus intrinsecus, hoc est essentialis cognitionis, rem representantis, res erit. Quia tamen hæc representatio dicit illum finem essentialem, non qua dirigitur à Logica, sed non nisi qua representatio rei est, ideo adhuc res, non erunt immediatum objectum Logicæ.

OBJICITUR III. Potest ex objecto materiali & formali, constari una ratio objecti, æquè immediata. Ergo ex cognitione & re cognitæ, potest constari ratio una objecti Logicæ.

RESPONDETUR. Disparitas est, quia quando ex objecto materiali & formali fit unum objectum, non apparet quid mediet inter materiale & formale objectum. Quid enim illud? inter res autem ut cognitæ mediat ipsa cognitio ut dixi ante.

OBJI-

OBJICITUR IV. Idem est objectum artis, quod & operationum artis, sed operationum artis v. g. Logicæ, objectum, sunt Res. Ergo & Logicæ objectum sunt Res.

RESPONDETUR. Duplices esse operationes artis. Alias elicitas, hoc est: dictamina & præcepta. Et alias imperatas, hoc est, quæ diriguntur ab illis præceptis & dictaminibus. Dico ergo idem esse objectum artis, quod & operationum eliciarum seu præceptorum, & quia præceptorum objecta, in Logica, sunt ipsæ operationes, dico ipsas operationes esse objectum Logicæ. Sed nego idem esse objectum Artis, quod operationum directarum & imperatarum, quarum objecta, non nego esse Res. Non est autem idem objectum artis, quod & operationum imperatarum ab arte, quis enim dicat plumbum vel lignum esse objectum fabri ferrarii, quia est objectum securis, illud secantis.

INSTABIS. Hoc complexum ex cognitione & re, est ab aliquo habitu considerabile, & non ab alio, quàm à Logica. Ergo Logicæ objectum sunt res & cognitiones.

RESPONDETUR. Non esse necesse ut hoc complexum ex re & operatione æquè primò sit in aliqua scientia, quæ de facto datur considerabile, sed sufficere quod immediatè considerentur cognitiones à Logica, mediantibus autem cognitionibus, Res.

OBJICITUR V. Instrumenti & utentis instrumento, idem est objectum, & ita v. g. auri-fabri, & ejus mallei, idem est objectum, hoc est aurum. Item; est idem objectum fabri lignarii, hoc est lignum, quod & objectum instrumenti ejus, hoc est securis, sed Logica est instrumentum scientiarum, quarum objecta sunt Res, Ergo & ipsius Logicæ objectum sunt Res.

RESPONDETUR negando Minorem. Negavi enim supra Logicam esse essentialiter instrumentum.

RESPONDETUR. II. Distinguendo Majorem. Idem est objectum instrumenti, quod dirigitur ab utente & utentis instrumento. Concedo. Idem est objectum instrumenti quod dirigit utentem & utentis instrumento. Nego Majorem. Distinctaque Minori. Nego Consequentiam. Quod idem sit objectum instrumenti, quod dirigitur ab operante, & ipsius utentis instrumento, bene probant allata exempla; quod verò instrumenta, quæ dirigunt operationem, non habeant pro objecto Res, sed operationes agentis; pater in perpendiculo, linea &c, cujus objectum, non est nisi operatio architecti, non autem illud lignum cui applicatur perpendiculum. Logica est instrumentum dirigens operationes, hinc operationes erunt objectum illius, & non Res, circa quas versantur illæ operationes.

OBJICITUR VI. Finis Logicæ est veritas, Veritas est in rebus. Ergo finis Logicæ & consequenter objectum erit in rebus.

RESPONDETUR negando Majorem. Finis enim Logicæ non est veritas, quæ est conformitas cum rebus, nam hæc pertinet ad illam scientiam, in cujus materia, fit aliquis actus, re-ctus Logice; sed est veritas, quæ est conformitas cum præceptis Logicis. Aliis Terminis idem dices. Finem Logicæ non esse veritatem in essendo, nam hæc est in rebus, sed veritatem ex modo cognoscendi quam præscribunt dictamina Logica. Et licet habitus cognoscitivi objectum, ex genere suo sit veritas, habitus tamen determinati, certam etiam speciem veritatis sibi determinant, & ita Logica determinat sibi certam veritatem, hoc est, veritatem, quæ sit conformitas cum præceptis Logicis.

OBJICITUR VII. Ethica habet pro objecto partiali Attributionis Res. Ergo & Logica. Antecedens probatur. Quia actus aliqui Ethici, habent pro objecto Res. Syllogismus enim iste: Bonum sine admixtione mali est melius, quam bonum cum admixtione mali, sed omne creatum bonum est cum admixtione mali, increatum est sine hac. Ergo bonum increatum, est melius quam creatum. Syllogismus inquam iste habet pro objecto Res.

RESPONDETUR negando Antecedens. Probatio ejus secundum id quod dicit explicitè, habet pro objecto rem. Hoc est bonum increatum, non secundum id quod dicit implicitè. Implicitè enim dicit operationem voluntatis, talem esse eliciendam, quæ præferat bonum increatum, creato. Quod verò implicitè ille actus importet operationem voluntatis, hoc inde est, quia in isto actu debet rationem suam formalem invenire Ethica, hoc est conformitatem cum recta ratione à se inducibilem, & cum hæc conformitas, non sit inducibilis in res, seu in bonum increatum, sed potius est inducibilis in operationem voluntatis, ideo illam respicere debet, saltem implicitè. Non nego tamen quod directio, fieri possit, tam per hoc dictamen: præfer bonum increatum creato, quam per hanc propositionem; Bonum increatum melius est creato. Hæc enim secunda propositio, est imperium æquivalens, ut ostendi supra, habens tamen pro objecto operationem voluntatis, implicitè ut dixi.

QVÆSTIO IV.

De Divisione Logicæ.

EX communi consensu dividitur Logica, in Artificialem & Naturalem. Naturalis Logica est ipse intellectus, qui lumine suo adjutus, sine alio superaddito principio artificiali, potest facere rectas apprehensiones, rectas enunciationes, rectas illationes. Logica autem artificialis est, quæ præter intellectum & lumen naturale, importat regulas quasdam & dictamina

dictamina practica, quibus informatus intellectus, longè quàm ante, facilius, operationes rectas facere potest Rursus Logica Artificialis dividitur, in Actuale & Habitualement. Actualis est ipsa apprehensio, enunciatio, illatio. Habitualement autem Logica est Qualitas ex actibus Logicae nata, inclinans ad similitudinem actuum productionem.

Actualis deinde & habitualis dividuntur in Totalem & Partialem. Denique tam actualis quam habitualis Logica. Alia est Docens. Alia Utens. Docentem Græci Philosophi appellant Logicam avulsam ab omni materia: Utentem autem volunt esse immerfam materiae. Porro in re. Logica Docens, est quæ tradit præcepta de rectificatione operationum intellectus. Utens autem Logica, quid sit? variè variè explicant. Sit

DIFFICULTAS I.

Quid nomine Logicae utentis veniat apud alios.

EXPLICANT I. ALIQUI. *Quod Logica utens, sit habitus Logicae, inclinans intellectum, ad usum præceptorum Logicorum, in sola materia propria Logica.* Unde docent quod hæc Definitio Physica: Homo est compositum ex materia & forma, nullo modo pertineat ad Logicam utentem. Idem cum his sentiunt qui docent Logicam, nullo modo elicitive concurrere, ad actus aliarum scientiarum, sed tantum directive: Directive autem concurrere, est concurrere dando præcepta faciendi, sicut facit Magister, quando dicit, sic & sic formandos characteres. Elicitive autem concurrere, est concurrere coefficendo, quod faceret Magister, una cum puero formando illos

Hæc Explicatio.

NON SATISFACIT I. Rogo enim quando sentimus facilitatem ab initio, circa objectum physicæ, definiendo, dividendo, enunciando &c. unde hæc facilitas oriatur? hæc facilitas non potest referri in habitum physicæ, quia supponimus cum nondum nos habere. Ergo in Logicam utentem. Neque potest facilitare Physica, non enim ipse esset Logica, quia in modo facilitandi, cum Logica conveniret.

CONFIRMATUR. In materia Logica, id quod facilitaret ad usum præceptorum, est Logica utens. Ergo & in materia aliena, idem quod facilitabit, erit Logica utens.

RESPONDEBIS I. Disparitas est, quia neque Definitiones facit, neque Divisiones in materia aliena, Logica.

CONTRA EST. Hoc est petere principium, de hoc enim queritur. Deinde unde illa facilitas in usu præceptorum Logicae etiam in materia aliena?

RESPONDEBIS II. Facilitatem referri in ipsam directionem & in præcepta, in quibus nos frequenter exercemus.

CONTRA EST. Non potest hæc facilitas referri in Logica, circa usum præceptorum, in ipsam Logicam docentem, alias tolleretur distinctio inter illas, contra quam docemus. Ergo neque potest referri in materiis aliarum scientiarum.

RESPONDEBIS III. Disparitatem esse, quia si Logica utens, in materia aliena, inclinaret intellectum ad usum præceptorum Logicorum, tunc & esset Logica, & non esset, esset ut dicimus, non esset, quia circa alienum objectum, ultra suam abstractionem versaretur.

CONTRA EST. Concedo, quod circa alienum objectum versaretur tunc Logica utens; sed nego, quod non sub abstractione sibi debita, nego quod non sub ratione formali sibi competente, id est sub ratione rectificabilis operationis in usu.

NON SATISFACIT II. Hæc explicatio. Quia potest Logica utens rationem formalem, circa quam versatur, reperire in materiis aliarum scientiarum, quod ita probo. Ratio formalis Logicae utentis est rectitudo, in quantum est in usu, sed potest esse in usu rectitudo operationum in materiis aliarum scientiarum. Ergo potest in materiis aliarum scientiarum, esse ratio formalis, utentis Logicae.

DICES I. Logica est Ars. Ars non efficit suum objectum, sed ad illius effectum tantum potentiam dirigit. Ergo & Logica. Minor probatur, quia certe actus intellectus architecti, domum physicè non facit.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probat. Probaret enim quod etiam in materia propria, his præceptis non utatur Logica, nam etiam tunc est Ars.

RESPONDETUR II. Negando Minorem. Probatio ejus est vera de effectis, quorum positio, pender à potentia condistincta, intellectus enim non ædificat sed manus. Falsum tamen id est in illis, quorum executio & directio, ab eadem potentia pender, nec oppositum probatur, intellectus autem dirigit & ponit suas operationes.

DICES II. Prudentia in actus aliarum virtutum, non nisi directive influit, Ergo & Logica utens.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia in actibus virtutum quæ tales sunt, non invenit rationem suam formalem prudentia, quid enim commune est prudentiæ & paupertati? Rationem autem suam formalem in materiis aliarum scientiarum, invenit Logica.

RESPONDETUR II. Negando Antecedens & dicendo, quod actum v.g. fortitudinis, eliciat, & habitus fortitudinis, in quantum ille actus est erectio animi, & simul eliciat habitus

pru-

prudentiæ, in quantum actus fortitudinis, est conformis rectæ rationi, sed quia raro fit ut fortitudinis actus, etiam sub formali ratione prudentiæ, procedat in suo elici, ideo negati etiam potest Consequentia.

DICES III. Habitus Logicæ utentis non producit usquam ab actibus aliarum scientiarum. Ergo nec faciliat ad illos.

RESPONDETUR. negando Antecedens. In quantum enim actus scientifici v.g. physici, sunt per rationem formalem debitam objecto Physicæ, in tantum augent habitum physicum, in quantum verò sunt conformes dictaminibus Logicis, augent habitum Logicum. Logica etiam utens, non censetur dissimiles sibi producere actus, quando ad actus aliarum scientiarum concurrunt, quia elicit illos, in quantum sunt similes in rectitudine. Per hoc tamen non assero, quod actus utentis, producant actus aliarum scientiarum, Actus enim non producant physicè alios actus, sed hoc pertinet ad potentiam & ad habitum. Unde etiam non nisi ipse habitus utentis, concurrat ad actus aliarum scientiarum.

EXPLICANT II. Aliqui. *Logicam utentem, & cum his Oviedo. Quod sint omnes alie scientie, que utuntur præceptis Logicis*, ita ut Physica & Metaphysica, & Mathematica, in quantum in suis actibus, utuntur directione Logica, sint non tantum in ablativo casu utentes Logicâ, sed etiam in Nominativo, sint Logica utens. Probantq; Quia nihil obstat.

Hec explicatio

NON SATISFACIT I. Quia non potest dici utens Logica, quod non est Logica, sed alii habitus v.g. Physica, Metaphysica, non sunt Logica. Ergo neq; sunt utens Logica. Major Probat à Pari. Non potest dici animal rationale, quod non est animal. Ergo etiam non potest dici utens Logica, quod non est Logica. Ratio huius à priori est, quia membra dividenda totum aliquod potestativum, debent in recto participare divisum; cum ergo Logica dividatur in Utentem & Docentem, hæc membra dividenda, debent participare rationem huius divisi, quod est Logica. Hic discursus est ex Arriagâ.

RESPONDETUR I. Quod divisum, si sit univocum, debeat participari à membris dividendis, ut cum à rationali & irrationali participatur ratio animalis; sed si divisum sit Analogum, nihil officiet, etiam si non participetur à membris dividendis, sic v.g. sanum, dividitur rectè in animal quod est sanum & in medicinam; quæ causat sanitatem, & in pulsus, qui est index sanitatis &c. Et ita inquit divisio Logicæ in Docentem & Utentem, est divisio totius potestativi Analogi.

CONTRA est, huius Analogi divisio ita dividitur à suis membris, ut semper prædicari possit sine addito de suis dividendis membris, quamvis cum alia & alia explicabilitate, & ita v.g. &

medicina dicitur sana, id est causa sanitatis; & pulsus dicitur sanus, id est index sanitatis. Ergo etiam & de dividendis suis membris, hoc est de Physica & Metaphysica, prædicari poterit sine addito, Logica.

RESPONDETUR II. Quod Physica & Metaphysica secundum substantiam non sit Logica, sunt tamen secundum formam artificialem Logicam.

CONTRA. Quia substantia Logicæ, est forma artificialis Logica. Ergo si physica & Metaphysica sunt Logica, secundum formam artificialem Logicam, erunt in substantia Logica: & sicut si aliquid entitatem alicujus haberet, rectè diceretur esse illud Ens, id enim deponit identitatem; ita si physica & Metaphysica, habent substantiam Logicam, hoc ipso sunt substantialiter Logica. Quod autem substantia Logicæ, sit forma artificialis Logica, colligitur ex eo, quia quid aliud est substantia illius? cum ipsas operationes per formam Logicam sibi determinet.

RESPONDETUR III. Quod Logica ut sic contineat sub se Metaphysicam & Physicam, & est genus ad illas, nihil enim aliud est, nisi artificium logicum.

CONTRA. Tum quia si Logica est genus ad alias scientias, tunc jam non erit universalissima scientia Metaphysica, utpote, contenta sub Logica, nec jam scientiæ abscedent sibi particulam Entis, quod est objectum Metaphysicæ, sed abscedent sibi particulam Logicæ. Tum quia videtur esse hæc responsio, contra communem Philosophiæ sensum, contra quem nulla evidenti ratione probatur, & in nostris principiis falsum est, quod ad illas scientias spectet illo artificio uti, sed utuntur aliæ scientiæ, ipsa Logica influente in aliarum scientiarum actus. Tum quia multa hic explicari deberent. Imprimis, ista Logica ut sic spectata, estne practica an speculativa? si practica, ergo & aliæ scientiæ ex hoc suo genere erunt practicæ, si speculativa, quomodo illa ipsa erit practica simpliciter? Explicari rursus deberet illa Logica, quæ est genus ad Metaphysicam, Physicam &c. vel est genus ad se ipsam, vel non est genus ad se ipsam: si est genus ad se ipsam, non erit jam hæc Logica, de qua quaeritur: an illa dici possit in recto de Metaphysica, quia hæc non est sibi genus, sed in se, certus modus sciendi: si non est genus ad se ipsam, cur cum sit conspecies generis huius, quod est scientia, evadit postea genus, suarum conspecierum. Quod autem de Deo, qui est quid universalissimum possit prædicari Ens reale, exinde habetur, quia ens reale non est conspecies Dei, sed semper genus, jam autem Logica, est conspecies Metaphysicæ.

NON SATISFACIT II. Non potest dici, quod utens securi, sit in recto utens securis, utens gladio, sit in recto utens gladius, neq; id exculari potest per ullam Analogiam. Ergo & aliæ scientiæ

† Ff

tia

tia utentes Logica, non possunt dici utens Logica.

RESPONDEAT. Dispar esse, quia securis non potest esse ratio analogica, respectu instrumenti ferri, & respectu manus utentis instrumento, sicut Logica ut sic, potest esse ratio analogica, respectu artis docentis, & respectu habitus definientis: stabit autem Analogia in similitudine artificii Logici & in dissimilitudine, quia in Logica forma illa invenitur activè, passivè in aliis scientiis.

CONTRA. Securis, non est Analogum quid ad manum utentem, ergo nec Logica est quid Analogum ad alias scientias, quæ ea utuntur. Hocq; ipsum negatur, formam Logicam inveniri in aliis scientiis passivè, quasi non Logica ad illos actus secundum artificium concurrat, quæ alia scientia utuntur.

NON SATISFACIT III. Neq; enim potest dici, quod Logica, sit Physica, quæ utens Logica. Ergo etiam non potest dici quod Physica sit utens Logica, quia sicut confunderetur ratio Logicæ, si de illa quomodocunque diceretur Physica, ita confunderetur ratio Physicæ, si de illa diceretur, quod sit utens Logica, non confunditur autem ratio Physicæ, quando de illa dicitur, quod utatur Logica, nam non confunditur ratio Logicæ, si dicatur esse instrumentum scientiarum, si dicatur esse Organum, quod idem est, ac quod Logica, utantur scientia.

DICES I. Actus externus humilitatis vocatur humilitas. actus externus prudentiæ vocatur prudentia, idq; idè, quia actus externi sunt Consummationes internarum virtutum. Ergo & scientia vocari possunt utentes Logica, quia sunt consummationes.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia argumentum multum probat, si enim ex eo quia actus externus humilitatis vocatur humilitas, sequitur scientias utentes Logica, esse utentes Logicas; sequeretur etiam Dominum utentem servo, posse vocari servum utentem, scriptorem calamo scribentem, posse vocari calamum scribentem. Disparitas ergo in forma est, quia usus obtinuit, ut ea quæ habent honestatem derivatam ab actu interno, habentq; eandem formalitatem bonitatis, & sunt velut indicia eorum & signa, eandem honestatem participant, sicut participant & nomen; jam verò non habent eandem formalitatem Logica docens & utens. Et insuper, ea, quæ ad aliud per modum instrumenti comparantur, non solent vocari eodem nomine, ut patet in adlaris de servo, quem instrumentum animatum appellat Aristoteles, de fera, calamo & cæteris instantiis. Logica autem respectu aliarum scientiarum, habet se per modum instrumenti.

DICES IV. Quod recipit formam Logicam veluti quoddam sigillum, potest dici Logica passivè, adeoq; Logica utens, sed omnis definitio v.g. in materia aliarum scientiarum, est quod recipit formam Logicam, seu est usus principio-

rum Logicorum. Ergo. Major probatur, nam quod sit juxta regulas statua, seu quod recipit formam statua, vocatur statua, & sic de similibus.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare, quia probat alias scientias & actus illarum, esse Logicam docentem; recipiunt enim formam Logicæ docentis, ita vel ita argumentandum esse. Vi ergo hujus, negatur minor. Deinde diximus alias, quod ad omnem actum scientificum, procedentem secundum regulas, influit ipsa Logica per se, quæ utuntur scientia; unde quod recipit formam Logicam ex influxu ipsius Logicæ proprio, est actus Logicæ utentis; sed nego hanc receptionem formæ Logicæ, haberi ab ipsismet aliis scientiis, consequenter nec illæ erunt, utens Logica. Addo etiam posito influxu proprio Logicæ utentis, prout condistinctæ ab omnibus aliis scientiis, actus illius non dicuntur Logica utens, sed actus Logicæ utentis, cujus oppositum ponit objectio.

Ex occasione hujus argumenti, confirmatur conclusio imprimis, ut scientia non esse Logica utentis transeat ad esse Logicæ utentis, debet dari sufficiens mutatio, usus autem principiorum, facit quidem ut dicantur illæ scientia utentes Logica, sed per quid transibunt ut dicantur Logica utens. Deinde videtur hæc quæstio esse de voce, & cum alia quæ utuntur, non dicantur ipsum illud, quo utuntur, nec hic id eliciendum. Instantia de statua pro nobis servit, nam etiam statua, non dicitur utens statuaria.

DICES V. Quamvis marmor secundum substantiam non sit statua Cæsaris, secundum talem figuram, est statua Cæsaris. Ergo & alia scientia, secundum talem usum Logicæ, erunt Logica utens.

RESPONDETUR. Marmor appellari statuam, usus habet, non habet autem usus, quod utens, dicatur illud quo utitur. Deinde quia marmor recipit in se formam statua, jam autem nulla scientia recipit in se formam Logicam, nec ullus actus, & sicut statua Cæsaris, non appellatur utens statuaria, ita nec scientia utentes Logica, possunt appellari, utens Logica.

EXPLICANT Alii III. Quod Logica utens sit habitus ex sequenti reflexione supra præcepta Logica genitus. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Aliud est reflexio, aliud usus, hic ergo habitus erit inclinativus ad reflexionem Logicam, non verò ad usum. Deinde potest esse usus Logicæ præceptorum sine ulla prævisa reflexione. Ergo reflexio, non est utens Logica. Probatur Antecedens. Potest aliquis descendere in usum præceptorum sine reflexione ad præcepta, sed per solum dictamen, informans intellectum, ut sic vel ita operetur.

DIFFICULTAS II.

Quid nomen Logica utentis venire debeat.

EXPLICATUR tandem ratio utentis logicæ. *Quod sit habitus Logica inclinans intellectum,*

ad usum præceptorum Logicorum, sive in propria, sive in aliena materia. Est hæc Explicatio communis.

PROBATUR. Quia datur Logica utens, datur enim usus præceptorum Logicorum, & hæc Logica utens non sunt scientiæ distinctæ à Logica ut probavi, nec etiam est Logica prout præceptis suis utitur, in sola sua propria materia. Ergo Logica utens, est Logica prout utitur suis præceptis sive in propria sive in aliena Materia.

QUÆRITUR I. *An Logica utens utatur suis præceptis in Materiis aliarum scientiarum,* non solum circa probabiles, syllogismos, sed etiam circa demonstrationes aliarum scientiarum. Alii hanc questionem ita proponunt: An rectè dividatur Logica in Utentem & Docentem, quoad partem Analyticam seu demonstrativam, quàm quoad partem Topicam & Sophisticam. Respondetur, quòd Logica utatur suis præceptis circa Syllogismos etiam demonstrativos aliarum scientiarum? Est contra Fonssecam, Conimbrienses, & alios apud Oviedo. Ratio est quia utitur Logica suis præceptis in syllogismis probabilibus aliarum scientiarum. Ergo etiam in demonstrationibus. Ratio Consequentiar est. Quia ideo utitur præceptis in syllogismis probabilibus Logica, quia præcepta sua circa Syllogismi formam in materia probabili exercet, sed idem facit circa demonstrationes. Ergo etiam circa demonstrationes utitur suis præceptis. Quod ipsum Probatur. Quia non alia est forma argumentandi in probabili, quàm in demonstrativo syllogismo.

DICES I. Si Logica utitur suis præceptis in materiis aliarum scientiarum tam circa demonstrationes quam circa probabiles syllogismos, sequeretur illum esse habitum differendi de omnibus quæ in Theologia, Metaphysica, & cæteris scientiis continentur.

RESPONDETUR. Quod Logicus quæ talis, habet habitum in omnibus materiis differendi, in quantum discursus requirit rationem formæ syllogisticæ, quæ non nisi ad solam Logicam spectat.

INSTABIS. Si Logica uteretur suis præceptis in materia aliarum Scientiarum, circa demonstrationes illarum, sequeretur, quod Logica omnes demonstrationes efficeret, illaq; sola scientia esset, sed hoc falsum est. Ergo & illud ex quo sequitur.

RESPONDETUR. Concedo, quòd Logica demonstrationes omnes conficiat, sed non ipsa sola, totaliter efficit, quia licet ipsa sola ad dispositionem terminorum concurrat, concurrat tamen v.g. Physica in demonstratione de objecto Physico, tales propositiones, rationes, motiva ad inveniendum ex suis principiis, & ex iisdem principiis deducendo id, quod sub tali præcisè ratione non nisi à Physica attingibile est. Sic v.g. in hac demonstratione, compositum sensibile debet

constare materia & forma. Lignum est compositum sensibile. Ergo debet constare materia & forma. In hac inquam demonstratione dispositio terminorum pertinet ad Logicam, sed medius terminus ordinatur ad objectum physicum, hoc est ad corpus naturale vel Ens mobile. Unde ulterius negatur, quod tota substantia demonstrationis in Metaphysica, pertinet ad Metaphysicam, ratione enim usus formæ syllogisticæ, illa demonstratio spectat ad Logicam utentem.

DICES II. Nulla est necessitas affirmandi quod in materiis aliarum scientiarum utatur suis præceptis Logica, & cur id non potest tribui ipsis scientiis, in quantum informantur dictaminibus Logicæ docentis.

RESPONDETUR. Hanc esse necessitatem, quia illi actus sunt tribuendi Logicæ utenti, in quibus reperitur ratio formalis usus Logici actus, quod habet Logica utens, in materiis aliarum scientiarum. Quare autem non sufficiat hæc referre in solam docentem, dixi difficultate præcedenti.

DICES III. Logica non utitur in materia propria demonstrativa, suis præceptis. Ergo nec in aliena. Antecedens probatur. Si Logica circa syllogismum in sua materia demonstrativum, uteretur suis præceptis, deberet usus hic condistingui à doctrina Logicæ. Sed non potest condistingui ut probo. Quia demonstrationes, quæ sunt in materia propria Logicæ, non distinguuntur à doctrina Logicæ, quia omnes actus Logicæ, sunt præcepta, quibus docemur conficere instrumenta sciendi.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Probationem etiam ejus utramque nego. Propositionem verò illam, omnes actus Logicæ sunt præcepta, distingo. Omnes actus Logicæ dirigentis seu docentis, sunt præcepta concedo. Omnes actus Logicæ etiam utentis, sunt præcepta, nego.

QUÆRITUR II. *Cur propriissime competat uti præceptis Logicis.*

RESPONDETUR. Propriissimè competit ipsi intellectui. Ratio est, quia illi propriissimè competit uti præceptis Logicis, cui competit ab iisdem institui, informari, præceptis imbui: Præceptis autem imbui, competit intellectui non Logicæ. Deinde Logica est qualitas inanimata, non cognoscitiva, quomodo ergo utetur propriè præceptis, quæ non cognoscit, ad eum modum quo non posset uti Caji præceptis Personius, si præcepta à Cajo tradita, non cognosceret. Logica tamen vocatur Logica utens, quia causa Logicæ utentis, hoc est intellectus, cognoscit illa præcepta, & utitur illis, ex quo usu nascitur qualitas ad usum similem inclinans. Vocaturq; hæc qualitas Logica utens. Ad eum modum, quo habitus virtutis, dicitur inclinare ad actus honestos moraliter, quantumvis illos non cognoscit, utpote inanimatum quid.

DIFFICULTAS II

Quomodo Logica docens ab utente distinguatur.

PRÆMITTO I. Certum esse apud omnes actus Logicae utentis à Docente distinguere connotatis extrinsecis. Nam actus Docentis dicit dictamen seu præceptum actuale, de opere faciendo, non connotando ipsius operis effectum. Actus autem Logicae utentis, connotat ipsius operis effectum, directam, à docentis Logicae, dictaminibus.

PRÆMITTO II. Certum esse apud omnes actum Logicae Docentis de Definitione, ab actu Logicae utentis de Demonstratione, esse alium realiter. Ratio est, quia fieri potest, ut aliquis habeat habitum de definitione & non habeat illum habitum de demonstratione. Consequenter nec habitum utentis Logicae.

PRÆMITTO III. Habitum Logicae utentis, qui est productus non ex directione profecta à Logica docente, sed merè ex dictaminibus luminis naturalis, habitum inquam talem Logicae utentis, ab habitu docentis Logicae, esse distinctum realiter. Ut clarescat præmissum. Dico aliquam in usu facilitatem oriri ex directione facta per dictamina Logicae docentis seu præcepta ejus. Deinde aliqua in usu facilitas oriri potest per dictamina luminis naturalis. Quod aliqua facilitas oriri possit in usu, quæ fiat directione facta, per sola dictamina luminis naturalis. Ratio est, quia devenire tandem erit ad talem directionem, quæ à solo intellectu & lumine illius fiat, ne sit processus in infinitum, unde deveniri debet ad ultimum resolutorium directionis, quod est lumen naturale. Et cur exercitium frequens ex illis & ita directis actibus, facilitatem seu habitum non pariat? Quantumvis non negem facilitatem illam, quæ sic acquiritur ex actibus, per solum lumen rationis directis, longè gravius molestiusque obtineri, si quis enim non studens Dialecticæ, solo lumine naturali vellet pervenire ad cognitionem eorum, quæ Dialectica docet, insignem difficultatem pateretur. Ad eum modum quo si quis vellet aliquam artem, sine præceptis discere, acquireretque habitum per solum suum ingenium, inveniendū id, quod Ars docet, magnam certè difficultatem pateretur. Hunc habitum Logicae utentis directum à solis dictaminibus rationis, distinctum esse realiter ab habitu Logicae docentis artificialis. Probatur, quia isti habitus sunt separabiles realiter, inveniri enim potest, ut quis ex solis dictaminibus naturalibus, facilitatem habeat in usu, quamvis non habeat ullam docentem Logicam artificialem, cum tamē alius Logica artificiali informatus, talem facilitatem acquisiverit, consequenter reperitur inter hos habitus separabilitas, adeoque & distinctio.

PRÆMITTO IV. Habitum Logicae utentis, non esse distinctum realiter adæquatè, ab habitu Logicae totalis.

RATIO est. Quia nulla pars est adæquatè di-

stincta à suo toto. Sed Logica utens, est pars totalis Logicae, constata ex utente & docente. Ergo non sunt distinctæ realiter adæquatè.

PRÆMITTO V. In hoc esse difficultatem; An Logica docens & Logica utens superius explicata, quæ sunt quasi species Logicae totalis, sint inter se distinctæ realiter.

DICENDUM est. *Esse distinctas.*

Probari hæc Conclusio solet variis argumentis, sed inefficacibus, quæ refutata apud impressos videbis.

PROBARI tamen solet & potest I. Alia est realiter difficultas quam tollit Logica utens, & alia realiter quam tollit Logica Docens. Ergo habitus Logicae utentis & docentis, sunt distincti realiter. Consequentia probatur, nam ex distinctione reali difficultatum distinguuntur realiter habitus, neque est major ratio, cur tollendæ uni difficultati, opponatur unus habitus, & non opponatur, alteri difficultati tollendæ, alter habitus. Antecedens probatur. Alia est realiter difficultas quam experimur in cognoscendis præceptis syllogismi, & alia difficultas quam experimur in actibus syllogisandi. Hinc potest aliquis scire regulas illas: prima prius subjicit &c. & tamen in prima figura non conficere cum facilitate argumentum, imò experimur eundem medium terminum facilius poni in prima figura, quam in tertia, eo quod major sit usus argumentandi in illa, quam in hac figura.

RESPONDEBIS I. Huic argumento cum Oviedo hic num. 14. quod duplex sit difficultas in actu Logicae utentis, alia ex parte materiæ, & alia ex parte artificii, difficultas verò, quæ est ex parte artificii, hæc tollitur sufficienter per sola præcepta, difficultas verò, quæ est ex parte materiæ, hæc tolli debet per alios habitus.

CONTRA est. Potest aliquis scire hanc regulam: tertia bis subjicit &c. potest item habere materiam facilem, hoc est A. B. C. & tamen sentiet difficultatem in applicatione hujus regulæ, & positione argumenti hujus in tertia figura. Ergo sola Logica docens, etiam in materia facili, non adfert facilitatem in exercitio actuum Logicorum. Deinde ad tollendas difficultates ratione materiæ ortas, concedi debet distinctus habitus à Logica docente, & cur non dabitur etiam in habitu Logicae, distinctus realiter habitus à Logica docente, qui superet difficultates ratione materiæ Logicae, & ratione usus, sitque Logica utens.

RESPONDEBIS II. Non sentiri ullam unquam difficultatem in usu præceptorum Logicorum, quando jam sunt cognita præcepta.

CONTRA est. Rogo, an aliquando sentiant homines in aliquo difficultatem? si sentiunt? nego ego, & quod tu pones argumentum ad probandum sentiri in his difficultatem, eodem ego probabo, sentiri in usu præceptorum, & non in sola illorum cognitione difficultatem.

PROBATUR II. Conclusio. Docens causat salutem

tem directivè utentem. Sed non causat seipsam. Ergo docens ab utente distinguitur realiter. Confirmatur, intellectus frequenter se exercendo in dictaminibus docentis, potest acquirere habitum docentis Logicæ. Ergo & frequenter se exercendo in usu Logicæ, potest acquirere habitum utentis.

PROBATUR II. Et supponitur aliquem esse facilem in cognoscendis præceptis Dialecticis, v. g. in cognoscendo illo præcepto: tertia bis subjicit, vel certè supponamus Deum fecisse decretum, de concurrente cum homine ad actus solos cognoscitivos præceptorum, non verò ad actus, qui sint usus præceptorum. His suppositis. Ita argumentor. Ille qui se exercuit & facilitavit in solis cognitionibus præceptorum, jamq; habet habitum Logicæ docentis, vel se facilitavit in usu præceptorum vel non facilitavit, habetq; jam eo ipso Logicam utentem vel non habet; si non habet, Ergo docens & utens sunt sine se reperibiles. Ergo & distinctæ realiter; si verò habet hoc ipso Logicam utentem, qui se exercuit in solis cognitionibus præceptorum, & nunquam habuit illorum usum; tunc quæro? Ille habitus, qui est productus sola cognitione præceptorum, nunquam in usu reductorum, vel esset ad similitudinem actuum, à quibus productus est productionem inclinativus, vel non esset inclinativus; si non esset inclinativus ad similes actus; jam non haberet naturam habitus; si esset inclinativus ad similes actus, à quibus productus est? Ergo esset inclinativus ad solam præceptorum cognitionem, cum à sola præceptorum cognitione sit productus. Ergo non inclinabit ad usum præceptorum, quia supponitur non fuisse usus illorum. Ergo consequenter nec erit illic facilitas in usu. Ergo nec habitus utentis. Quod eo magis robur habet; quia præcisè usus præceptorum, potest esse & non esse scientificus; ut si quis ex usu argumentaretur, quomodo ergo habitus scientificus, qualis est docentis Logicæ, inclinabit ad actus, qui de se possunt non esse scientifici?

RESPONDEBIS. In Casu illo suppositionis fore habitum docentis Logicæ formaliter, utentis autem habitum fore virtualiter seu æquivalenter.

CONTRA est. Posito habitu Logicæ docentis nato ex solis cognitionibus præceptorum, rogo, in quo sensu intelligis, illum habitum esse Logicam utentem virtualiter seu æquivalenter? si enim ille habitus ideo est æquivalenter & virtualiter utens, quia potest causare utentem, libens concedo, quod si causare utentem possit, potest & esse sine causanda utente, nec plura volo ad arguendam distinctionem realem istorum habituum, quam quod docens, sit causans, utens autem Logicæ, sit causatus habitus.

DICES. Hic actus: Definitio est clarior suo definito, quantumvis ut docui de practicitate Logicæ, tantum sit æquivalenter practicus, verè tamen est practicus. Ergo & habitus ille Logicæ

docentis, quamvis sit æquivalenter & virtualiter utens, verè erit utens.

RESPONDETUR. Quando asseruimus actum æquivalenter practicum, esse verè practicum, asseruimus illum esse causaliter practicum, & ordinari ad opus, non tamen asseruimus, quod cum eo ad quod ordinatur, sit idem realiter. Ita etiam quando tu dicis, nec ego dissentio, actum Logicæ docentis esse æquivalenter seu virtualiter utentem, id est causare utentem, debes dicere distinctos esse hos habitus, hocq; causari à docente, utentem, arguit distinctionem.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Nulla est necessitas distinguendi realiter docentem & utentem. Ergo non distinguuntur realiter.

RESPONDETUR. Ostendi necessitatem propter diversarum difficultatum superationem, & quia alias habitus non ad similes actus inclinares à quibus productus est, ut probavi probatione tertia. Dicoq; tunc, quando materia est facilis, & cognitum artificium Logicum, licet jam non sit difficultas ex parte materiæ & ex parte formæ; superest tamen difficultas, ex parte modi applicandi, & reducendi in praxim formam, & præcepta de illa, quod videre est in puero sciente Grammaticæ regulam, & habente verba in promptu, & tamen in compositione errante.

INSTABIS. Habitus inclinans & facilitans ad faciendum v. g. syllogismum, est Logica utens habitualis, sed Logica docens habitualis, est habitus inclinans & facilitans ad faciendum v. g. syllogismum. Ergo Logica docens habitualis, est Logica utens habitualis.

RESPONDETUR. Distinguendo Majorem. Habitus inclinans & facilitans præceptivè ad faciendum v. g. syllogismum est Logica utens. Nego Majorem. Habitus facilitans per modum principii executivi, est Logica utens. Concedo Majorem, distinctaq; Minori, Nego Consequentiam.

OBJICITUR II. Quantumvis ut probavit probatio secunda, possit reperiri docens sine utente, utens tamen non potest reperiri sine docente. Ergo saltem realiter inadæquatè distinguuntur.

RESPONDETUR. Ad realem distinctionem sufficit per multos separabilitas ex una parte, modo aliud extremum non sit modus ut dictum in Materia in Distinctionibus. Quod verò utens sine docente reperiri non possit, id est, non propter identitatem Entitatis, sed propter connexionem, quod non officere distinctioni reali; ibidem dictum. Esse autem connexionem inter utentem & docentem certum est, quia inter dirigibile & directivum est connexio, dirigibile autem est utens, docens directivum.

INSTABIS I. Si Logica utens est distincta adæquatè realiter à docente, annihilat Deus habitum

bitum Logicae docentis, jam tunc manebit habitus utentis: sicut si intellectus & voluntas sint potentiae distinctae realiter, posset annihilato intellectu, manere voluntas, quamvis intellectus sit directivus voluntatis, quemadmodum docens, est directiva utentis. Posito autem quod non annihilatur Logica utens, vel ille habitus utentis Logicae erit vel non erit; si non erit. Ergo appareret nec ante annihilationem docentis fuisse habitum utentem; si erit, Ergo independenter erit inclinativus a docente ad actus Logicos. Sed hoc falsum est, nam actus Logicae non potest esse, qui non sit ex directione Logica, ex directione autem Logica non erit, quia supponitur annihilari Logica docens.

RESPONDETUR. In tali casu remanentem habitum utentis fore inclinativum, non proximè, sed remotè, & quantum est de se ad actus Logicae, non fore tamen inclinativum pro tunc, ratione defectus ejus rei, quam necessario requirit ad actus suos, requirit enim necessario ad actus Logicae, directionem Logicam, quae fit a docente, quae supponitur annihilata. Ita planè, sicut posito quod intellectus & voluntas sint potentiae distinctae realiter, si sola maneret voluntas, tunc temporis quantum de se, remotè esset principium actuum volendi, proximè tamen non esset principium volendi, propter defectum praerequisiti ad agendum voluntati, Praerequisiti inquam luminis, quod lumen est ipsa ratio.

INSTABIS II. Concessimus habitum Logicae docentis, esse virtualiter habitum Logicae utentis, vicissim habitum utentis concedere debemus esse habitum docentis virtualiter, quia ex usu praeepti, potest erui quale sit praeeptum. Ergo utens & docens non sunt Logicae distinctae realiter.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Sit v.g. glans est virtualiter arbor, causaliter enim arborem, arbor item est virtualiter glans, generat enim glandem, tamen glans & arbor distinguuntur realiter, ita quamvis docens causet utentem, & vicissim utens, possit etiam dare fundamentum intellectui, ut formet dictamen Logicae docentis, non sequetur Logicam utentem & docentem, non esse distinctas realiter.

OBJICITUR III. Quorum habituum actus non sunt distincti realiter, illi habitus non sunt distincti realiter. Sed actus utentis ab actibus docentis, non sunt distincti realiter. Ergo nec habitus erunt distincti. Major probatur. Quorum principiorum actus non sunt distincti realiter, illorum actuum principia, non sunt distincta realiter, & sic, quia potentiae intellectivae & intellectus, potentiae volitivae & voluntatis, hominis & animalis rationalis, actus, non sunt distincti realiter, idè & principia horum actuum, non sunt distincta realiter. Ergo & quorum habituum actus, non sunt distincti realiter, illi etiam habitus, non sunt distincti realiter. Minor principalis pro-

batur. Illatio syllogismi in Barbara, est & actus utentis, in quantum proficiscitur ab utente Logica, & simul est actus docentis, in quantum proficiscitur a Logica docente, directivè enim non pertinet ad utentem sed ad docentem. Ergo istorum habituum Actus non sunt distincti realiter.

RESPONDETUR. Negando Majorem. Probationis item Antecedens, multum enim probat, probaret enim Deum & Creaturam non esse distincta realiter principia, quia unum eundemque actum habent, ut quando v.g. eadem illuminatio, pendet a sole & Deo, eadem animatio ab anima & Deo. Quod attinet ad exempla adducta. Respondeo tunc illa principia non sunt distincta realiter, quae habent eosdem actus, quando haec principia solis nominibus distinguuntur: ut solis nominibus distinguuntur potentia intellectiva & intellectus, & reliqua supra adducta: utens autem a docente non distinguitur solis nominibus. Rursus si ex mera identitate Actuum argueretur identitas principiorum, sequeretur inter Deum & Creaturam non esse distinctionem realem, nulla enim est actio creaturae, ad quam non concurrat Deus. Quod si dicas aliud esse de principis subordinatis ut subordinantur Deo creaturae, sed id pro nobis est, quia etiam Logica utens subordinatur docenti, & sicut Deus habet aliquam propriam actionem, in quam non influit creatura, nempe creationem; ita formatio praeeptorum spectat ad Logicam docentem, nec in illam influit utens. Deinde nego etiam Minorem. Neque enim actus, qui dirigitur a docente, est propriè actus docentis, nam proprius & elicited actus docentis, sunt ipsa praeepta.

QUAESTIO V.

De necessitate Logicae.

PRÆMITTO. Quaedam esse necessaria simpliciter: quaedam necessaria secundum quid. Necessaria simpliciter sunt, quae suppleri nullo modo possunt, & sine quibus res absolute poni non potest, & sic existentia est necessaria simpliciter, ad simpliciter operandum, intellectus ad intelligendum. Quaedam sunt necessaria secundum quid, seu ad melius, perfectius, facilius esse. Et sic equus est necessarius ad iter faciendum, cibi delicati ad nutritionem.

DICENDUM est I. Logicam naturalem, esse necessariam simpliciter ad omnes scientias.

PROBATUR. Quia Logica naturalis est ipso intellectus informatus principiis lumine naturae notis, vel certè sunt ipsi actus intellectus, innitentes principiis lumine naturae notis. Sed intellectus informatus principiis lumine naturae notis, est simpliciter necessarius ad scientias. Ergo & Logica naturalis.

DICEN-

DICENDUM II. *Logica artificialis tam habitualis quam actualis, non est simpliciter necessaria ad alias scientias. Quod habitualis non sit necessaria:*

PROBATUR. Quia habitualis Logica sequitur naturam reliquorum habituum, habitus autem reliqui exceptis infusis, dant tantum facile posse, si autem esset necessaria simpliciter, jam non solum facile posse, sed simpliciter posse daret.

Quod Actualis non sit simpliciter necessaria hoc inde probatur. Ad scientiam sufficit cognitio præmissarum evidentium & necessariarum, & illarum cum conclusione connexio. Sed hoc potest haberi sine Logica artificiali, ut probo. Quia multi rudes faciunt actus scientificos, sine ulla actuali Logica artificiali, ut cum dicunt: vivit adhuc percussus serpens, quia se movet, ubi est talis involutus syllogismus. Omne quod se movet vivit, serpens percussus se movet. Ergo adhuc vivit. Item cum dicunt pueri: Redde mihi Alvarum tuus non est: ubi involvitur talis syllogismus: Alienum est restituendum. Iste Alvarus est alienus. Ergo est restituendus.

OBJICITUR. Plurimi sunt syllogismi demonstrativi, in quibus ex ipsis terminis non appareret bonitas Consequentiae. Ergo saltem requiretur Logica artificialis, quæ ostendat bonitatem Consequentiae.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Bonitatem enim Consequentiae possumus penetrare per solum lumen naturale sine Logica artificiali de Consequentia, ut penetravit Aristoteles. Beneque possunt scire homines, se scire, sine Logica artificiali, ut scivit Aristoteles, cum demonstravit artificium syllogismi. Et certè ut aliquis dicatur per Logicam artificialem scire, quod sciat, debet præsupponere regulas artis, ante illam cognitionem factas & præscriptas, quibus conformetur, quod non est omnino necessarium ut aliquis sciat se scire, ut ante præscriptas regulas de illa

tione scivit illas fore bonas Aristoteles, dum illas præscribebat.

DICENDUM III. *Logicam artificialem esse necessariam secundum quid, seu ad facilius descendas scientias.*

PROBARI solet. Imbecillitate intellectus nostri ad faciendos discursus non erroneos, & difficultate ipsius objecti, quam sentiremus, si ipsi per nos, artificium syllogismi invenire vellemus. Caterum neque ad facilitatem in scientiis omnino requiritur Logica, quia hæc facilitas haberi posset ex actibus, non per Logicam artificialem, sed per naturalem directis, modo hi actus frequenter usurpentur, ut dixi supra.

OBJICITUR I. Patres sæpè Logicam ut inutilem damnant.

RESPONDETUR. Damnant abusum qui erat dum ex Dialectica fides oppugnabatur. Laudat eam Hieronymus supra Ezechielem. *Verè quidquid per verborum dogmatum est, & putatur esse robustum, in terrena sapientia, hoc Dialectica arte subvertitur.*

OBJICITUR II. Si Logica esset necessaria ad alias scientias, esset necessaria & ad se, cur enim non? Sed hoc est absurdum, alias præquireretur ante seipsam.

RESPONDETUR. Est Logica necessaria ad seipsam, partialis ad totalem, imperfecta ante se perfectam. Hinc dantur summulæ ante Logicam, & ante summulas præquiritur naturalis Logica.

OBJICITUR III. Ante Logicam utentem requiritur docens artificialis, ante artificialem docens naturalis. Ergo dabitur processus in infinitum in istis Logicis.

RESPONDETUR. Non fore processum in infinitum, quia sistitur in principiis lumine naturæ notis & in ipsa Logica naturali.

COLLIGES *Hinc Definitionem Logica, Quod sit scientia practica, quæ versatur circa operationes intellectus rectificabiles.*